DE SCRIPTORUM
AC LITTERATORUM HOMINUM
CUM ROMANIS IMPERATORIBUS
INIMICITIIS

HANC THESIM

AQUARUM SEXTIARUM LITTERARIÆ FACULTATI

PROPONEBAT

Claudius-Odo REURE

PARISIIS

APUD BELIN FRATRES, BIBLIOPOLAS-EDITORES

VIA VAUGIRARD, 52

1891

DE SCRIPTORUM

AC LITTERATORUM HOMINUM

CUM ROMANIS IMPERATORIBUS

INIMICITIIS

SANCTI-CLODOALDI. — EX TYPIS BELIN FRATRUM.

MATRI AMANTISSIMÆ ET DILECTISSIMÆ

HANC THESIM

GRATO ANIMO DEDICABAM

PRÆFATIO

Multa disseruimus, altera in thesi[1], de scriptoribus litteratisque hominibus qui apud imperatores gratia floruerunt, quosque favor præmiis omnibus, honoribus, coronis, donis cumulavit. Sed præter laudantium turbam, præterque illos, quibus nec ira, nec amor in Cæsares esset, non defecerunt qui principes vel acerbissimo et pervicacissimo odio prosequerentur, vel eosdem saltem jocis subamaris pungerent.

Quum tamen Horatii Virgiliique, Valerii Maximi, Paterculi, Statii, Martialis, Plinii Junioris, Claudiani, Ausonii, multorumque aliorum qui vel bonos principes honeste laudaverunt, vel pessimis fœdas adulationes adhibuerunt, libros præ manu hodie nunc habeamus, paucissima scripta eorum supersunt, quibus imperatores lacessendi libido fuit, sive iniqua fortuna perierunt, sive senatus consultis penitus abolita sunt, sive, — idque plerumque incidisse arbitror, — temporum odiis orta, caducaque, mox in oblivione jacuerunt. Hoc enim vitium habent libelli famosi, maledicæ satiræ, versus in foro nocte positi, ceteraque illius modi, quod, hodie approbatione maxima, in poten-

1. *Les Gens de lettres et leurs protecteurs à Rome*, liv. III et V.

tium invidiam, excepta, cras exolescant, ac memoria excidant.

Quamvis quæ parum reverenter in Cæsares scripta sunt, orationesque a philosophis, causidicis, juventutis præceptoribus, in scholis vel apud judices, liberius habitæ, fere disperierint, non ardui tamen laboris erit, nisi suscepto negotio fallimur, multa indicia in medium afferre, quibus ostendatur litteratos homines cum romanis imperatoribus simultates assiduas exercuisse.

Ad id opusculum, qualecumque futurum est, exarandum, libris recentioribus modice usi sumus[1], illudque pene totum ex antiquitatis auctoribus, iis præcipue qui romanorum principum acta retulerunt, confecimus. Quanquam vero D. G. Boissier, in suo libro quem inscripsit : *l'Opposition sous les Césars*, hanc nostram materiam videtur tractasse, attamen admodum pauca, ut cuilibet legenti patebit, ex illo excellentissimo opere desumpsimus, quum aliud D. Boissier ac nostrum scribendi institutum, librique concinnandi *œconomia* et ratio fuerit.

1. *Ad calcem hujus libri subjungemus indicem librorum recentiorum qui maxime ad nostrum argumentum pertinent.*

PARS PRIMA

DE

SCRIPTORIBUS HOMINIBUSQUE LITTERATIS

QUI MALE IN IMPERATORES ANIMATI FUERUNT

§ I^us

De faceto et maledico Romanorum ingenio.

Primo rerum adspectu, nihil Romano rigidius ac magis tetricum, cui etiam cantandi saltandique studia obscœna videantur[1]. Si vero dignitatem suam orisque gravitatem forte seposuit, tunc effrenate in jocos immodestos effunditur. Apud nobiles obversabantur morionum greges et ludionum, quibus unus labor erat, ut dominum ejusque convivas sannis, mimicis ineptiis, et ridicule dictis oblectarent. Feriis præcipue popularibus, ut Floralibus, Compitalibus, Ludis Saturnalitiis, Minervæ quinquatriis minoribus, scurrile quiddam admisceri mos antiquitus invaluerat. Agricolæ minio suffusi, capitique corticeas personas prætendentes, rudia carmina, choros incompositos et solutissimos risus per rura ducebant[2]. Quis nescit triumphos facetis probrosisque militum cantilenis sæpius contaminatos esse? Ne a funeribus quidem jocus aberat. In

1. Seneca, *Controv.*, I, *Præf.* Cf. Macrob., *Saturn.*, III, 14.
2. Tibull., *Carm.*, II, I, 55: Virg., *Georg.*, II, 386 sqq.; Hor., *Ep.*, II, I, 146.

Vespasiani exsequiis, Favor archimimus os habitumque et ingressum, ut consuetudo erat, defuncti gerens, sub ornatu imperatorio, a procuratoribus quæritavit quanti apparatus funeris constaret; quumque audiisset « sestertium centies », querulus exclamavit : « centum sibi sestertia darent, ac se vel in Tiberim projicerent »[1]. Multa Romanorum nomina, eorum vero intelligo quos partæ victoriæ acceptique magistratus honoratissimos fecerunt, nihil aliud ac ridicula vel turpia cognomenta prius fuisse constat[2]. Facetiarum tandem amor adeo latinis ingeniis insitus erat, ut id magna artis oratoriæ pars haberetur. Oratores enim dicendi peritissimi diu ac diligenter in salibus bene atque opportune ponendis laboraverant; festive dicta colligebantur eorum qui urbanitate vel dicacitate excelluissent, Ciceronisque amicus de ea re tres libros edidit ; ac rhetores de risu et jocandi generibus plurima dividebant, disserebantque quid *lascivum*, quid *salsum*, quid *hilare*, quid *contumeliosum*, quid *asperum* esset[3].

Qui vero facetiis valde delectantur, ii plerumque detractores omnium esse solent et derisores, ac libenter potentissimos dicteriis vellicant; nec immerito Liviæ scribebat Augustus : « Præbenda materia deridendi nos non est hominibus σκώπτειν καὶ μυκτηρίζειν εἰωθόσιν[4]. » Quamdiu prisca reipublicæ forma viguit, licentia quæ velles apud senatum, populum et judices dicendi, partium civilium dissidia odiaque, perpetuæ quæstiones, quibus cuilibet civium in consulares ipsos inquirere licebat, ea omnia potentium virorum reverentiam atque observantiam pene abolevere. Omni probrorum genere Tullius Clodium, L. Pisonem, Antoniumque infamavit. Postea, conviciis in imperatores Romani non abstinuerunt, quodque ante in consules,

1. Suetonius, *Vesp.*, 19.

2. Quintil., I, 4, 25; Cic., *De Orat.*, II, 54 sqq.; *Ep. ad Attic.*, XIV, 14; Macrob., *Saturn.*, I, 6.

3. Cic., *loco cit.;* Quint., VI, 3, « *De Risu* »; Macrob., *Sat.*, II, 2 sqq.

4. Sueton., *Claud.*, 4. Cf. Treb. Pollio, *Gallien.*, 9; Cic., *Pro Cœlio*, 16; Hor., *Satir.*, I, VII, 32; Amm. Marcell., XVI, 10.

provinciarum præfectos ac duces exercituum, illud in principes, eadem prope libertate, commissum est. Augustum ipsum, quamvis factionibus ac discordiis civilibus pacem attulisse videretur, nihilominus dicteriis offenderunt. Sub atrocissimis quoque imperatoribus, tum quum aliquid libere dictum produxisse valde periculosum esset, tyrannis non pepercerunt. Neque velim mihi objicias notissimum hunc Taciti locum, ubi queritur Romam quindecim Domitiani annos, « longum vitæ humanæ spatium », *per silentium* transiisse[1]. Sub Domitiano etiam multos audacter locutos esse facile convincemus. Homines erant, vel pessimis temporibus, qui capitis periculum subibant, ne in principem facete vel probrose dictum compescerent[2]. Quum Tiberius legata quæ Augustus moriens plebi reliquerat nondum reddidisset, scurra, prætereunte funere, accessit, et mortuo quiddam in aurem insusurravit ; interrogatus vero quid dixisset, respondit se illi homini defuncto mandavisse ut Augustum moneret nondum sua legata persolvi ; Tiberiusque jussit scurram statim suum recipere debitum, dein occidi, « ut ipse id Augusto nuntiaret »[3]. Caracalla, Getæ fratris interfector, sibi ridicule Germanici, Alemannici, Arabici, Parthici titulos adscripserat ; idque Helvii Pertinacis joco amarissimo locum fecit ; nam Caracallæ dixisse fertur : « Tuis nominibus adde etiam, si placet, *Geticus*[4]. » Gallienus imperator, quanquam id temporis pater Valerianus a Sapore custodia inhonesta tenebatur, triumphum tamen sibi decerni præceperat, perinde ac si Persarum copias bello devicisset. Quid vero hoc turpi triumpho actum sit accepimus ex Trebellio Pollione, cujus verba ipsa ponemus : « Quum grex Persarum, quasi captivorum, per pompam duceretur, quidam scurræ miscuerunt se Persis, diligentissime scrutantes

1. *Agricola*, 3.
2. Cf. Senec., *Controv.*, II, 12.
3. Dio Cass., LVII, 14 ; Suet., *Tiber.*, 57.
4. Spartian., *Carac.*, 10. Cf., *Geta*, 6.

omnia atque uniuscujusque vultum mira inhiatione mirantes. A quibus quum quæreretur quidnam agerent illa solertia, illi responderunt : *Patrem principis quærimus*. Quod quum ad Gallienum pervenisset, scurras jussit vivos exuri[1]. »

Fuerunt igitur qui romanos principes libere perstringerent, eosque odio ingenti consectarentur, ut ille Corellius Rufus qui, sub Domitiano, longo et atrocissimo morbo correptus, ac cruciatus incredibiles perferens, Plinio Secundo, familiarissimo suo, dicebat : « Cur me putas hos tantos dolores tamdiu sustinere? Ut scilicet *isti latroni*, vel uno die, supersim[2]. »

In civitate vero litteris omnibusque disciplinis exculta, ubi declamandi, recitandi, carmina pangendi libido plurimos tenebat, ac per scholas poetarum, cœtus eruditorum, convivia et circulos, scriptitandi contagio grassabatur[3], necesse fuit ut plerique eorum apud quos principes male audiebant, de litteratorum hominum grege fuerint. Multis enim ac diversissimis modis romanos imperatores a philosophis, oratoribus, dicendi magistris, historiæ scriptoribus, ac præcipue poetis aut jculariter perstrictos fuisse, aut graviter lacessitos manifestum faciemus; nullumque omnino Cæsarem, per ducentos annos, reperias, quem illæsum reliquerint.

1. Trebell. Poll., *loco cit.*
2. Plin., *Epist.*, I, 12.
3. Hor., *Epist.*, II, I, 103 sqq.; Persius, *Sat.*, I, *passim;* Juven., VII, 51; etc.

§ II

De Philosophis.

Usque ad Trajani tempora, Cæsares vel cum philosophis gessere inimicitias, vel saltem eos parum approbarunt. Non tamen negaverim a plerisque imperatoribus philosophos toleratos esse, imo paucos eorum apud principes conversatos fuisse. Nero sapientiæ doctores, in ludibrium, post epulas, ut eorum discordiis delectaretur, ad se advocabat; « nec deerant qui, ore vultuque tristi, inter oblectamenta regia spectari cuperent[1]. » At Nero idem Thraseam, Baream Soranum, Rubellium Plautum, Musonium Rufum, Cornutum, Helvidium aliosque morte afficiebat, vel in exsilium agebat[2].

Stoici enim, qui primas, inter philosophos romanos, partes tenuerunt, id in primis decretum habent : solum bonum esse honestum, mala tantum quæ fœda sunt, nobilitatem vero, ignobilitatem, divitias, paupertatem, potentiam, *exsilia, supplicia* esse *indifferentia*, scilicet neque inter bona, neque inter mala ponenda esse[3]. Sunt igitur homines qui persuadere volunt se feriri quidem posse, vulnerari non posse[4], omnia quæ mala a vulgo dicuntur sibi toleranda esse, ut « hiemis rigorem, morbos, ceteraque forte accidentia[5] »; principes ipsis neque vere bonum, neque malum afferre posse, ac minimi interesse utrum ab eis honorifice an injuriose habeantur; virum sapientem intra se sibi stabilire regiam quamdam potestatem,

1. Tac., *Annal.*, xiv, 16. Cf. Senec., *Epist. ad Luc.*, 29.
2. Vide infra, *Parte IIa*, § 3o.
3. Tacit., *Hist.*, iv, 5; Seneca, *Ep.*, 82; Epict., *passim.*
4. Seneca, *De Constantia Sapient.*, 3.
5. *Ibid.*, 9.

a Cæsaris dominatu sejunctam ac solutam, a qua nemo eum deturbare valeat. Epicteti libelli, qui *Enchiridion* inscribitur, finis fere totus in eo est, ut animum nostrum in hanc naturalem libertatem vindicemus, ad quam a Deo parente et auctore nostro facti sumus, nec quidquam ultra formidemus[1].

Hæc autem quantum Cæsarum potentiæ refragentur quis non videat? Haud diffitemur quidem plerosque stoicos, præcipue romanos, non sic arroganter sua placita proposuisse, sed, pro temporum necessitate, temperamento mitigasse, ne potentium aures asperarent. Ea tamen, velint nolint, stoicæ disciplinæ sectatores asseruisse certum est; neque bono animo principes intueri eos poterant, qui alienum a Cæsarum auctoritate imperium in se ipsis habere profiterentur.

Præterea stoici, se extra fortunæ ictus positos, ac tutos a cujusvis injuria, neque aliquid de sua libertate diminui posse credebant; principum non favores appetebant, neque timebant iras; nulla igitur vi armorum aut pœnarum formidine cogi poterant ut imperatorum voluntati cederent. Recordare id Demetrii ad Neronem dictum : « Tu mihi mortem minaris, tibi natura[2]; » illudque ad Caligulam supplicia minitantem Theodori philosophi responsum : « Habes cur tibi placeas; hemina sanguinis in tua potestate est[3] ! » Isque ab Epicteto refertur Helvidii et Vespasiani dialogus : « Ne ingredere in curiam. — Te penes me non esse senatorem; sed quamdiu ego sum, me in curiam ingredi necesse est. — Ingredere igitur, sed taceto. — Ne me roga sententiam. — Rogare debeo. — Et ego quid sentiam enuntiare debeo. — At si enuntiaveris, te mori jubebo. — Numquid unquam dixi tibi me esse immortalem[4] ? »

1. Simplic., *Comment.*, *Præf.*, 2.
2. Epictet., *Dissert.*, I, 25.
3. Seneca, *De Tranq. animi*, 14.
4. Epictet., *Dissert.*, I, 2. Cf. II, 6; IV, 1; etc.

Stoici, quum omnia suis præceptis inferiora esse crederent, ac reliquos homines plerumque contemnerent[1], sapientiam sæpe intempestivam superbiamque incommodam præ se ferebant, omnium vitia procaciter, etiam inter spectacula et convivia, adoriebantur, atque in petulantiam erumpebat eorum *male dispensata libertas*[2]. Non modestiore in principes lingua utebantur, quanquam Epictetus volebat virum vere sapientem, in conspectu potentium, neque abjectum et humilem esse, neque ferocem et contumeliosum, sed eos modice laudare de his quæ forte bona fecerint, ut meliora suadeant[3]. Plura inveniuntur, apud auctores, philosophorum erga principes animi arrogantioris indicia, ita ut Seneca merito dixerit multis philosophiam periculi causam fuisse, insolenter tractatam et contumaciter[4], ac nonnullorum procacitatem Vespasianus, quamvis patientissimus esset, vix ferre posset[5]. Demetrius Caligulæ donum superbe respuebat[6]; Isodorus cynicus eo impudentiæ veniebat, ut Neronem transeuntem, coram populo, corriperet « quod Nauplii mala bene cantaret, sua bona male disponeret[7] ». Nero in animum suum induxerat res Romanorum gestas amplissimo carmine digerere, atque litteratorum hominum concilium vocaverat, qui componendum opus ordinarent, ac deliberarent quot libris argumentum tractandum esset. Unus ex illis, tanquam se principi venditaturus, dixit haud minus quadringentis libris opus esse, ut tanta materies absolveretur : « At, mehercule, multo nimis est, » ait Cornutus philosophus, qui concilio intererat. — « Chrysippus tamen tuus plures composuit. — Sane quidem, inquit,

1. Quintil., v, 11, 39; xiii, 3, 12. Cf. xii, 2, 6; D. Cass., lxvi, 13.
2. Seneca, *De Benef.*, i, 10; Dio Cass., lxvi, 15; Plin., *Epistolæ*, viii, 21; Lucian., *passim*.
3. Vide Simplicii *Comm.*, in cap. xxxiii.
4. *Epist. ad Luc.*, 103. Cf. 14; Tacit., *Annal.*, iv, 20.
5. Sueton., *Vesp.*, 13 et 15; D. Cass., lxvi, 12, 13 et 15; etc.
6. Seneca, *De Ben.*, vii, 11.
7. Sueton., *Nero*, 39.

sed Chrysippi libri ad hominum utilitatem proficiunt[1]. »

Id etiam periculosius quibusdam philosophis, sub Nerone, Vespasiano ac Domitiano præsertim, objectum est, sive verum, sive falso inventum crimen erat[2], quod scilicet reipublicæ statum ab Augusti dominatu receptum concuterent, principum auctoritatem elevarent, novas res molirentur, auræ popularis appetentes essent, ac juvenum animos, seditiosis orationibus, foverent. Alia Cossutianus crimina, apud Neronem verba faciens, in Thraseam cumulabat : eum « principio anni vitare solemne jusjurandum, nuncupationibus votorum non adesse, quamvis quindecimvirali sacerdotio præditum; assiduum olim et indefessum, qui vulgaribus quoque Patrum consultis semet fautorem aut adversarium ostenderet, triennio non introiisse curiam; secessionem jam id, et partes, et, si idem multi audeant, bellum esse. Te, Nero, et Thraseam avida discordiarum civitas loquitur. Spernit religiones; abrogat leges. Diurna populi romani per provincias, per exercitus leguntur, ut noscatur quid Thrasea non fecerit. Aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt; aut nova cupientibus auferatur dux et auctor. Ista secta Tuberones et Favonios, veteri quoque reipublicæ ingrata nomina, genuit. Ut imperium evertant, libertatem præferunt. Frustra Cassium amovisti[3], si gliscere et vigere Brutorum æmulos passurus es[4]. »

Illi crimini proximum erat viros stoicæ sectæ principes, inanibus disputationibus absconditos, nomen sapientiæ otio infami prætendere, philosophorum scholam ut *otii diversorium* habere[5], a reipublicæ administratione secedere,

1. D. Cassius, LXII, 29.
2. Vide Senec., *Epist.*, 73 : « Errare mihi videntur, qui existimant philosophiæ fideliter deditos contumaces esse ac refractarios, et contemptores magistratuum ac regum, eorumve, per quos publica administrantur, etc. »
3. Vide Tacit., *Ann.*, XVI, 9.
4. Tac., *Ibid.*, XVI, 22. Cf. 28; XIV, 57; D. Cass., LXVI, 12 et 13; etc. Vide quæ infra dicentur, *Parte IIa*, § 3o.
5. Seneca, *Epist.*, 108.

ac suo exemplo equites romanos incitare ut publica munia despicerent, vel, consulatum majoresque magistratus adeptos, deinceps senatum deserere, hortis et prædiis curas daturos[1].

Denique philosophorum *tristior ac pædagogi vultus*[2] videbatur publicæ felicitati insultare. Prisci temporis laudatores erant, præsentis vituperatores, omnia deplorantes, quibus « nulla non causa in querelas placebat[3] ». Os morosum habitumque a ceterorum dissentientem affectabant, quasi reliquis hominibus luxum et lasciviam exprobrarent. Theatra et convivia plerumque vitabant; vel, si forte spectaculis adessent, eos pallio barbaque sepultos, in gravitatem compositos, raro victoribus assurgentes, non ludis, sed funeribus interesse crediderís; eaque vox proverbii locum obtinebat : « philosophos in convivio male esse, ut canem in balneo[4]. » Id vero malis principibus injucundum erat, crimenque magnum, sub Nerone, philosophis fuit, quod vultu austero et tristi ejus libidines veluti accusarent[5].

Multas igitur causas imperatores afferebant, cur philosophiam parum probatam haberent. Mæcenas ipse dicebatur Augusto suasisse ne, præter Areum et Athenodorum, philosophis, tanquam reipublicæ exitialibus, faveret[6]; atque Agrippina, ut quidem apud Suetonium legitur, Neronem a sapientiæ disciplina deterruerat, monens eam « imperaturo contrariam », ac male sedulum negotium esse[7].

1. Quint., XI, 1, 35; Tac., *Hist.*, IV, 5; *Ann.*, XVI, 22 et 27; D. Cass., LXII, 26; LXVII, 13. Cf. Senec., *Ep.*, 19; A. Gellius, XIII, 8; etc.
2. Suet., *Nero*, 37. Cf. Quint., I, *Præf.*; XII, 3, 12; Simplic., *Comment.*, in cap. XXXII; Tacit., *Ann.*, XIV, 16; XVI, 22 et 28; Senec., *Epist.*, 123.
3. Seneca, *De Tranquillitate animi*, 7.
4. Lucian., *Paras.*, 51.
5. Suet., *Nero*, 37; Tac., *Ann.*, XVI, 22.
6. D. Cass., LII, 36.
7. Suet., *Ibid.*, 52; Philostr., *Vita Apoll.*, IV, 35. Cf. Vulc. Gallic., *Avid. Cass.*, 13; Capit., *Anton. Phil.*, 23.

§ III

De Oratoribus et Rhetoribus.

Vix credibilem orandi licentiam, dum Respublica stetit, in forensibus causis patroni usurparunt. Nulla est fere contumelia sive in partem adversam, sive in testes, imo vero in judices ipsos, cui M. Tullius non indulserit[1]. Etsi Augusti disciplina, ut ferunt, eloquentiam, sicut omnia alia, pacavit[2], mansere tamen antiquæ libertatis plurima vestigia, ita ut *causidicina* « studium caninum », ac patroni latratores causarum, non defensores, vulgo appellarentur[3]. Nam protervi et dicaces, in sales effusi amaros, ab omnibus formidati, patrocinium ut latrocinium exercebant. Ii quoque qui verecundius linguæ parcebant, libere ac sine impedimento forensem operam exercendam esse contendebant, nec facile patiebantur defensionis arbitrium quoquo modo constringi. Principes tolerarunt patronos libera uti lingua, nisi forte fuerint extremæ servitutis tempora, quibus vocem parum cautam inconsultius edere periculum fecerit[4].

Albutius Silus homo erat summæ probitatis, qui nec facere injuriam, nec pati posset[5]. Quum Mediolani, sub Augusto, reum defenderet, cohibentibus lictoribus ne judicium immodicis laudantium plausibus turbaretur, ita excanduit ut, deplorato Italiæ fato, Marcum Brutum,

1. *Pro Quintio*, 1; *In Vatin.*, 1; etc.
2. *Dial. Orat.*, 38.
3. Quintil., XII, 9; Columella, I, *Præf.;* A. Marcell., XXX, 4. Cf. Lucian., *Piscator.*, 29.
4. Vide Plinii *Epist.*, I, 5.
5. Seneca, *Controvers.*, III, *Præf.*, et *passim.*

libertatis assertorem, invocaret[1]. Cassius Severus, de quo uberius infra[2], « omissa modestia et pudore verborum, » non pugnabat, sed rixabatur[3]. Licinius Murena, Primi causam agens, in Augustum præsentem quædam irreverenter dixit; postremo : « Quare ibi ades ? Quid te huc vocavit ? » Cui princeps, voce comi et placida respondit : « Cura boni publici[4]. »

Hoc Vespasiani moderationis argumentum præcipue produnt : eum causidicorum obliqua dicta, *figuras* et cavillationes lenissime tulisse[5]. Claudius imperator, juris diligentissimus custos, sæpissime, in foro sedens pro tribunali, judicia ipse reddidit. At Suetonius auctor est[6] causidicos « adeo ejus patientia solitos abuti, ut descendentem e tribunali non solum voce revocarent, sed et lacinia togæ retenta, interdum pede apprehenso retinerent ». Græculus litigator adeo petulans fuit, ut Claudio diceret : « Tu, medius fidius ! senio debilis es, et insanus ! » Inde Seneca, in suo de Claudii morte ludo, quem *Apocolocyntosin* vocant, principem finxit querentem apud Herculem de causidicorum contumacia : « Tu scis, inquit, quantum miseriarum pertulerim, quum causidicos audirem ; in quos si incidisses, valde fortis licet tibi videaris, maluisses cloacas Augiæ purgare ; multo plus ego stercoris exhausi[7]. »

Neque in senatoria eloquentia libertatis exempla desunt. Augusto jam principe, Labeo Antistius, in jure valde doctus, incorrupti animi, ac memor conditionis in qua natus erat, nihil ratum habebat, nisi quod justum videbatur; simulandi nescius, et qui veritatem nullo adulationis condimento temperaret. Sæpenumero adversus

1. Suet., *Rhetor.*, 6.
2. *Parte IIa*, § 2o.
3. *Dial. Orat.*, 26. Cf. Quint., x, 1, 116.
4. D. Cass., LIV, 3. Cf. Suet., *Octav.*, 56.
5. Sueton., *Vesp.*, 13; A. Victor, *Epit.*, 9. Cf. Spart., *Septim. Sever.*, 14.
6. *Claud.*, 15.
7. Seneca, *Apokol.*, 7. Cf. *Ibid.*, 12.

principis sententiam ore libero locutus est, nimiam et vecordem arrogantiam ostentans[1].

Quum Tiberius in Granium Marcellum, reum majestatis quia sinistros de principe sermones jactabat, habebatque suam statuam altius quam Cæsarum erectam, exarsisset, dixissetque se velle, contra consuetudinem, in ea causa opinari, Cneius Piso de dedecore facti eum his verbis monere ausus est : « Quo loco censebis, Cæsar? Si primus, habebo quod sequar ; si post omnes, timeo ne imprudens dissentiam[2] ! » Permotus Tiberius, ac sua imprudentia perspecta, Granium permisit dimitti absolutum majestatis crimine. Piso quoque Lucius, avitæ ferocitatis hæres, coram Tiberio increpabat « corrupta judicia, sævitiam oratorum accusationes minitantium, abire se et cedere urbe, victurum in aliquo abdito et longinquo rure testabatur ; simul curiam relinquebat[3] ».

Sed eorum numero qui non in commune servitium ruebant, præsertim adscribi oportet Pœtum Thraseam, æqualibus prope deum visum, ejusque generum Priscum Helvidium, alterum illum consularem, alterum prætorium. Uterque vero stoica disciplina firmatus adversus formidinem, in senatu pro honestate verbo dimicavit; eo tamen discrimine, quod nihil in Thrasea modice laudes, Helvidius vero ultra modum justæ libertatis interdum progressus fuerit[4].

Ad senatum deferebantur causæ majestatis, horum temporum flebilis calamitas; quæ tamen, subtili invento, adversus imperatores ipsos nonnunquam conversa est. Nam, per speciem veritatis detegendæ, palam producebantur contumeliosa testimonia, valde principibus odiosa[5]. Mon-

1. Suet., *Octav.*, 54; Tacitus, *Ann.*, III, 75; Appius, apud A. Gell., XIII, 12; *Schol. ad Horat. Satir.*, I, III, 82.
2. Tacit., *Annal.*, I, 74. Cf. D. Cass., LVII, 2.
3. Tac., *Ibid.*, II, 34 ; IV, 21. Cf. VI, 8 et 9.
4. De Thraseæ et Helvidii verbis apud senatum, vide præsertim D. Cass., LXI, 15; LXVI, 12; Tacit., *Hist.*, II, 91 ; IV, 4. Cf. *Ann.*, XVI, 25 et 26.
5. Vide Dion. Cass., LXI, 16.

tanus Votienus orator, homo perargutus, reus erat majestatis, quod contra Tiberium plenos convitiorum sermones habuisset. In causa promptus est testis Æmilius, miles, oris ingenui, prætereaque ad hoc instructus, non tam ut Montanum opprimeret, quam ut principem læderet. Quum enim præfatus esset se, pro more militari, ambages missurum, et sine fuco et fallaciis quæ comperisset locuturum, singulatim maledicta et probra quæ Montanus in Tiberium injecerat, diligenter persecutus est. Et quanquam obstrepebant aulici, perditum jam pudorem gementes, Tiberiusque fremebat, tamen eam ignominiam suscepit ut, coram senatoribus, audiret contumelias quibus in occulto lacerabatur. Votienus quidem ad pœnas majestatis damnatus est, vulneri principis imbelle remedium. Ægre ipsius animos adulatio et preces amicorum placarunt; senatus vero vitandi consilium cepit, ne voces liberiores, quæ ibi sæpius ipsum offendebant, in posterum pateretur[1].

Vix dubium est quin magna pars oratorum ex rhetorum præceptis libertatis amorem hausissent. Certis enim documentis compertum habemus multos ex latinis rhetoribus, qui ante Quintiliani tempora claruerunt, declamandi libertate insignes fuisse. Scholastici gregis facile princeps Seneca major frequenter in ore habebat Ciceronem, Cassium Severum, Cremutium Cordum, Mamercum Scaurum, potentibus invisos aut molestos[2]. Timagenes historiæ scriptor, idemque dicendi magister, propter amarulentam dicacitatem, et sales quibus orationes suas respergebat, cathedra decidit[3]. Titus Labienus, ut qui « pompeianos spiritus nondum in pace posuisset », immodica libertate declamabat[4]; Cestius Pius, mordacissimus rhetor, ejusque dictus *simius* Argentarius, quia omnibus insistebat Cestii

1. Tacit., *Annal.*, IV, 42.
2. *Controv.* et *Suasor.*, *passim.*
3. Suidas, *s. v.;* Sen., *Controv.*, V, 34; Plut., *De Adul. et amic.*, 27; *Schol. ad Hor. Ep.*, I, XIX, 15. — Vide infra, *Parte IIa*, § 2o.
4. Seneca, *Controv.*, V, *Præf.*

vestigiis, orationibus multa contumeliose interponebant[1]. Sextus Clodius ut *male oculatus* metuebatur[2]. Porcius Latro, audiente Augusto, Agrippæ tum temporis præpotenti natalium humilitatem exprobrabat; quumque, illis diebus, Augustus Agrippæ filios adoptaturus videretur, Latro improbe declamabat « multos adoptione tantum nobilitatos fuisse[3] ».

Forte incidebat ut homo rebus prosperis depulsus, redactusque ad extremas necessitates, scholam victum quæsiturus aperiret, ac se de hominibus et fortuna in orationum exordiis acerbe vindicaret ; ut ille Valerianus Licinianus, cujus calamitatem belle narrat Plinius Secundus ; qui, quum Romæ inter eloquentissimos causarum actores esset habitus, ira Domitiani suscepta, rhetor de senatore factus est, atque in Sicilia artem professus, declamationum procœmia querelis infarciebat[4].

Illud genus hominum, quemque obvium maledico dente rodere soliti, haud sibi temperabant quin de ipsis Cæsaribus immodesta loquerentur. Tiberius Nicetis ingenio offensus est[5] ; Carinas sub Caligula occisus[6] ; sub Domitiano rhetor Maternus damnatus, ideo quod in tyrannos quædam imprudenter dicta jactasset, quæ in principem deflecti possent[7]. Quum Nero, post Pisonis conjurationem detectam, cives pene innumeros vel supplicio afficeret, vel ageret in exsilium, relegatus est rhetor Verginius Flavus, eo crimine quod studia juvenum eloquentia foveret[8].

Nihil est vero quod mireris, si declamationes adversus imperatoriam auctoritatem vertebantur. Ita enim, plerisque in scholis, artis oratoriæ parabatur institutio, ut magistri

1. Seneca, *Controv.*, IV, 26. Cf. III, *Præf.; Suas.*, 7 ; etc.
2. Suet., *Rhet.*, 5. Cf. Cic., *Philipp.*, II, 47.
3. Seneca, *Controv.*, II, 12. Cf. I, *Præf.*
4. Plin., *Epist.*, IV, 11.
5. Seneca, *Suas.*, 3.
6. D. Cass., LIX, 20.
7. D. Cass., LXVII, 12.
8. Tac., *Ann.*, XV, 71.

alumnos advocarent ad veteres reipublicæ oratores, velut ad excellentissima dicendi exempla. Cicero in primis commendari, esse in omnium manibus, lectitari, revolvi[1]. Id vero esse non poterat, quin juvenum generosis animis desiderium inculcaretur horum temporum, quibus « splendor rerum et magnitudo causarum..., accusationes potentium reorum, assignatæ etiam domibus inimicitiæ, assidua senatus adversus plebem certamina, etsi distrahebant rempublicam, exercebant tamen eloquentiam[2] », et necessitate, fama, præmiis ingenium stimulabant.

Accedit ut, in scholasticis argumentis, sæpe libertas moriens regno incipienti, et jam sui vires prætentanti, obluctaretur. Tirunculus orator Sullæ dabat consilium

> Privatus ut altum
> Dormiret[3],

vel Tullium monebat, ne Antonio, post *Philippicas Orationes*, sese excusaret; imo vero Silus Albutius concludebat moriendum esse Ciceroni, etiamsi nemo proscriberet, quum patriæ pater et vindex libertati perditæ superesse non posset[4]; optimumque existimabatur *suasoriæ* genus, Catonis Uticensis jamjam morituri, ac Cæsaris clementiam declinaturi, ultima verba retexere[5].

Tyrannum acriter insectabatur scholastica juventus[6], verbis pasta ingentibus et magnificis, dum ordine quisque suo belluam istam telis insequuntur, et

> Perimit sævos classis numerosa tyrannos,

præmiumque expostulant patriæ liberatori, qui pestem

1. Attamen, quibusdam in scholis, Cicero modice probabatur (Vide Senec., *Suas.*, 7; *Dialog. Orator.*, 22 et 23).
2. *Dial. Orator.*, 36 et 37.
3. Juven., I, 16.
4. Seneca, *Suas.*, 6.
5. Pers., III, 45.
6. Vide Juven., VII, 151; *Dial. Orator.*, 35; Petron., *Satyric.*, 1; etc.

hanc exstinxerit. Quisnam porro est nequissimus *tyrannus*, edicta fœda scribens, cæde respersus civium, vitiis et flagitiis omnimodis inquinatus, qui mulieres stupro corrumpit, virginum Vestalium nuptias concupiscit, jubetque parentes a liberis occidi? Dicemusne *tyrannos* illos, apud rhetorum scholas infames, nihil aliud fuisse ac malos principes, qui urbem et imperium vexavissent? Nequidquam credimus; num permitteret Domitianus Caligulæ ac Neronis carpi vitam[1]? Ne patientissimi quidem imperatores hanc turbulentam scholarum licentiam tulissent, factionum nutricem. Fictum igitur quiddam et commentitium, nomen mere lusorium erat ille tyrannus[2], ut is quem Plato in suis *De Republica* libris effinxit. Attamen, quum juvenes ardentissimi, prætereaque periculorum incuriosi, splendidis verbis in tyrannum debaccharentur, quomodo non ictu obliquo veriores tyrannos attigissent, si qui Nerones rempublicam lacessissent[3]?

1. Vide Plin., *Paneg. Traj.*, 53.
2. Cf. Pers., III, 35 sqq.
3. Vide locum D. Cass. (LXVII, 12), supra laudatum.

§ IV

De historiæ scriptoribus.

Historia inimicitiis sæpius eorum inserviit, qui se imperatorum obtrectatores esse jactabant. Etenim vel ad defendendum, vel ad accusandum facta se accommodant, ac, pro scribentis voluntate, decora aut turpia videntur. Apud priscos annalium conditores, major erat veri diligentia, quia factionis minus. Ubi vero bella civilia exarserunt, animosque in partes sibi invicem infensissimas distraxerunt, *veritas retro abiit*[1], multisque cura fuit ut res ad sectæ suæ laudem deformarent. Neque, postquam Augustus omnia pace composuit, facta sincere scripta sunt, quum alios adulatio prava traheret, alios offensio in principes. Insuper, republica immutata, pleraque occulte, in secretis imperatorum consiliis, agi cœperunt; hinc factum est ut scriptoribus historiarum non plurimum auctoritatis adderetur, velut non satis cognita narrantibus, ac multa vulgo referrentur, quæ facta non essent[2]. Ceterum, non apud veteres, ut apud nos, inquirendæ veritatis præcipuum, in rebus scribendis, studium erat; sed plerumque historia habebatur ut alterum quoddam eloquentiæ genus, affectabaturque magis narrandi venustas, quam rerum incorrupta fides[3].

Certos auctores habemus priorum Cæsarum Flaviorumque historiam vel obsequio, vel ira sæpe corruptam esse. Tacitus semel atque iterum, suos *Annales* atque *Historias*

1. Seneca philos., *Vita patris.*
2. Dio Cassius, LIII, 19. Cf. Tacit., *Histor.*, I, 1, infra cit.
3. Cic., *De Legibus*, I, 2; *Brutus*, 11; etc. Cf. Quintil., X, 1, 31 : « Historia est proxima poesis, et quodam modo solutum carmen. »

incipiens, lectorem monitum voluit, ne temere crederet iis quos adulandi vel vituperandi studium ad scribendum pepulit : « Veritas, inquit, pluribus modis infracta, primum inscitia reipublicæ, ut alienæ, mox libidine assentandi, aut rursus odio adversus dominantes ; ita neutris cura posteritatis, inter infensos vel obnoxios. Sed ambitionem scriptoris facile adverseris; obtrectatio et livor pronis auribus accipiuntur ; quippe adulationi fœdum crimen servitutis, malignitati falsæ species libertatis inest... Tiberii, Caiique et Claudii ac Neronis res, florentibus ipsis, ob metum falsæ ; postquam occiderant, recentibus odiis compositæ sunt[1]. » Nullus fere eorum qui Neronis historiam scribere aggressi sunt non a vero erravit ; nam alii, propter beneficiorum memoriam, rebus dedecoris speciem honestatis obduxere ; alii vero, propter simultates cum principe susceptas, in eum mortuum indecenter mendaciis invecti sunt[2].

Plurima Lampridius, Trebellius Pollio, Capitolinus, imo Dio Cassius Suetoniusque ipse collegerunt, quæ adeo *improbe absurda sunt*[3], ut ex malevolis auctoribus deprompta esse videantur. Nemo enim, nisi sensu communi plane caruerit, credat Liviam, quo subtilius Augustum enecaret, ficus ex arbore pendentes veneno oblevisse, viroque obtulisse carpendas ; parum abfuisse quin Claudius edicto solemni daret licentiam crepitus ventris per convivium emittendi, « quum periclitantem quemdam præ pudore ex continentia reperisset » ; Galbam hujus sordidæ parcimoniæ fuisse, ut dispensatori suo, tabulas privatarum impensarum exhibenti, leguminis patinam, pro diligentiæ mercede, daret ; Commodum nanos gibberosos in lance

1. Tac., *Annal.*, I, 1 ; *Histor.*, I, 1.

2. Joseph., *Antiq. jud.*, XX, 8. — Tacitus, in *Ann.*, IV, 11, petit ab eis quorum in manus liber venerit, « ne divulgata atque incredibilia, avide excepta, veris non in miraculum corruptis, antehabeant. » — Cf. *Histor.*, II, 101 ; Plin., *Epist.*, V, 8 ; IX, 27 ; Vulc. Gallic., *Avid. Cassius*, 3 ; Spart., *Carac.*, 8 ; Sueton., *Claudius*, 41.

3. Aur. Vict., *Cæsares*, 20.

sibi sinapi perfusos afferri jussisse, ac eosdem statim honoribus et divitiis ornasse; Gallienum ex pomis castella fecisse; Maximinum sudores suos excepisse, ac duos vel tres sextarios sudoris ostendisse, et alia quæ ineptiam simul ac malignitatem redolent[1].

Præter improbos scriptores qui hæc insulsa ex vulgi rumoribus avide acceperunt, vel ipsi confinxerunt, alii plures, nequaquam spernendi, ita libero animo res populi romani composuerunt, ut potentes offenderint. Quomodo vero Labienus, Cremutius Cordus, Hermogenesque[2], ac forsan Junius Saturninus, Vipstanus Messala, Marius Maximus[3], in factiosi animi suspicionem venerint, non satis certum habemus; nam eorum libri perierunt.

Id quoque sæpissime imperatores inter gravissimas offensiones habuerunt, si quis vitam illustrium virorum, cujus fama memoriaque apud ipsos injucunda erat, composuisset, eorumque laudavisset fortem constantemque animum. Nam hujusmodi libelli, quum historiis atque annalibus breviores essent, ac facilius circumferrentur, nec difficulter paterentur ea ambigua verba quæ, sub umbra præteriti temporis, in præsentem horam cadere videantur, avidissime in circulis lectitabantur. Sic Cato Uticensis a Pœto Thrasea, Thraseaque ipse a Rustico, a Senecione Priscus Helvidius, a Secundo Julius Asiaticus laudatus est[4], ut eos omittam qui, sub ultimis Reipublicæ temporibus, Bruti, Catonis, Pompeii ac Ciceronis vitam et laudationem ediderunt[5].

Qua vero voluntate, quoque animo Corn. Tacitus Agricolæ soceri vitam memoriæ prodiderit, non plane liquet;

1. D. Cassius, LVI, 30; Suet., *Claud.*, 32; *Galba*, 12; Lampridius, *Comm.*, 11 (Cf. *Ibid.*, 10 et 13); Treb. Pollio, *Gall.*, 16; Capitol., *Maxim.*, 4. Cf. *Anton. Phil.*, 15; etc.

2. De Labieno, Cremutio et Hermogene vide infra, *Part. IIª*, § 2°, 3° et 4°.

3. Sueton., *Octav.*, 27; Tacit., *Hist.*, III, 25; etc.

4. Plut., *Cato Min.*, 37; *Dial. Orat.*, 14; Tacit., *Agric.*, 2; Sueton., *Domit.*, 10; Plin., *Epist.*, VII, 19; D. Cassius, LXVII, 13; etc.

5. Plut., *Cic.*, 41 et 49; *Brutus*, 13, 23, 48 et 51; *Dial. Orat.*, 17; etc.

quanquam nonnulli conjectarunt hunc librum ad id maxime scriptum esse, ut Domitiani tyrannidem incusaret. Hoc quidem non approbamus. Attamen, qualecumque fuit Taciti consilium, nihil profecto magis Domitiani nomini notam inussit infamiæ, quam liber aureus ille, quo conspicias consulares acervatim occisos, nobiles feminas in exsilium actas, delatores spoliis bonorum divites factos, virum Britanniæ victorem eumdemque ordinatorem, ultimos annos silentio ac tenebris transeuntem, ne principi, omnis meriti invido, suspectus infensusque fieret.

Quidam ex Plinii junioris amicis ordine perscribere cœperat exitium eorum quos Nero morte vel exsilio mulctaverat. Ferunt res ab ipso exaratas fuisse diligenter, sine verborum ambitu, sermone puro ac sincero. Jam tres libros absolverat; necdum operis finis erat. Eo usque animum opera distentum habebat, ut noctu, per somnium, sibi videre visus sit Neronem cubiculum subeuntem, sedentem in lecto, ac libros singulos, de ipsius sceleribus editos, devolventem[1].

1. Plinius, *Epist.*, v, 5. Cf. VIII, 12.

§ V

De libellis ac testamentis famosis.

Aspero et maledico Romanorum ingenio consentaneum erat suos inimicos probrosis consectari libellis, quorum plurimi, vel alieno nomine, vel sine nomine, a clanculariis auctoribus edebantur. Juris interpretes istud contumeliæ genus non omiserunt, habesque in *Digestis* Ulpiani responsa *de famosis libellis, ad infamiam alicujus pertinentibus*[1].

Ne antiquissima tempora repetamus, haud a re nostra alienum erit, si breviter quæ in novissimis status popularis annis facta sint attingamus. Tum enim libellis mordacibus, tanquam armis, acriter dimicatum est, quibus factiones sibi sua crimina invicem objiciebant. Non semel Varro Terentius partes civiles insectatus est; in ea vero præsertim menippea satira, quam Τρικάρηνος sive *Tria Capita* inscripserat, Crassi, Pompeii ac Julii Cæsaris fœdus illicitum videtur perstrinxisse[2]. Quum Cicero Brutusque Catonis Minoris res præclare gestas collaudassent, mox exoriri cœperunt *Anti-Catones*, Cæsarque, duobus libris integris, atrociter in Catonem mendaciis debacchatus est[3], id inter multa ipsi ridicule exprobrans, quod fratris cineres collectos cribrasset, ne paucas auri particulas perderet[4], atque alias calumnias Hirtius et Scipio Metellus superingesserunt[5]; neque filio Catonis, viro ceteroquin ingenii socordis

1. *Digest.*, L. XLVII, T. X, 5, § 9; Cf. *Ibid.*, 15, § 29 : « Si quis libello dato principi vel alicui famam alienam fuerit insectatus, injuriarum erit agendum. »
2. Appian., *Bella Civil.*, II, 9. Cf. Cic., *Acad.*, I, 2.
3. Suet., *Cæs.*, 56. Cf. Juven., VI, 33; etc.
4. Plut., *Cæsar*, 54; *Cato Min.*, 36, 52 et 54. Cf. Plin., *Epist.*, III, 12.
5. Cic., *Ad Attic.*, XIII, 40, 41, 44, 45 et 47; Plut., *Cato Min.*, 57.

et mulierosi, pepercerunt[1]. Cæsar vero ipse scriptis vehementibus lædebatur. Aulus Cæcina eum criminosissimo libro lacessebat[2], Curioque dialogum composuerat, ubi se exeuntem e senatu cum filio suo et Pansa colloquentem faciebat, interrogatusque quid in senatu actum esset, multum in Cæsarem invehebatur[3].

Primus omnium Augustus, quamvis scribendi libertati non libens contrairet, ac sparsos de se probrosos libellos diu contempsisset, quæstiones tandem de libris famosis haberi jussit, ad id præcipue pulsus Cassii improbitate, qui nobilissimos viros diffamaverat. Libris tamen contumeliosis Tiberius petitus est[4]; Claudiusque et ipsius liberti eadem perpessi sunt. Quum Claudius, suorum libertorum aviditate exhaustus, pecuniarum inopia laboraret, *famoso elogio*, ad irrisionem scripto, vulgatum est satis ei auri fore, si a Pallante Narcissoque in societatem reciperetur[5]. Claudius vero dolebat, quod a Tiberio et Caio tantas contumelias acceperat, ut merum ludibrium in domo Cæsarum diu fuisset[6]. Testatus est igitur se, ut veterem illum Brutum Tarquinii insidias ficta stoliditate effugientem, sub Caio stultitiam simulasse, ne principis invidiam subiret; neque id Romanis persuasit, sed « libellus editus est, cujus argumentum erat, neminem stultitiam fingere[7]. »

Postquam Claudius veneno periit, memoria ejus abjecta est ad omne probrum, ac nullus sibi temperavit quin miserabilem principem facetiis omnimodis vellicaret. Hæc autem Nero Agrippinaque indulgenter ferebant, quamvis ingentem doloris fastum præ se ferrent. Lucius Gallio,

1. Plut., *Cato Minor*, 73.
2. Suet., *Cæsar*, 75.
3. Cic., *Brutus*, 60.
4. Vide infra, *Parte IIa*, § 2o et 3o.
5. A. Victor, *Epitome*, 4.
6. Cf. Sueton., *Claudius*, 8 : « Quoties post cibum addormisceret, olearum ossibus incessebatur; interdum ferula flagrove, velut per ludum, excitabatur a copreis. »
7. Sueton., *Claudius*, 38.

Senecæ philosophi frater, quoddam urbane dictum de Claudio, quem Agrippinæ boleti deum fecerant, invenit : nempe Claudium *unco ad cœlum tractum esse*[1] ; ex eo die Nero ipse fungos deorum cibum, inter familiares, appellare consuevit. At Seneca, memor exsilii[2], quamvis, necessitate coactus, funebrem Claudii laudationem, in curia pronuntiatam a Nerone, composuisset, ac magnifica mendacia de mortuo digessisset[3], suam Ἀποκολοκύντωσιν edidit, quo Claudii ridicula flagitiaque lepidissime ac verissime descripsit : tetricas scilicet principis de philologia disputationes, libertorum insolentiam, causidicinæ aviditatem, pœnasque ad arbitrium feminarum frequenter habitas[4]. Ubi Claudius decessit, atque Olympi fores pulsavit, ac Jovi Herculique nuntiatum est venisse « quemdam bene canum, nescio quid illum minari, assidue enim caput movere », interrogatum vero, balbe respondisse et voce confusa : « Medius fidius ! ait Hercules, mihine decimus tertius labor incumbit[5] ? »

Proferebantur in vulgus, plerumque per occultum ac sine auctoribus, dialogi famosi, ut superius de Curione memoravimus, vel simulatæ adversus imperatores eorumque amicos nobilium virorum orationes, vel falsa Patrum consulta, vel litteræ mendaces. Agrippæ juvenis nomine vulgata est asperrima epistola, ubi multa parum modesta de Augusto declamitabat[6]. In Sejanum etiam compositæ sunt mentitæ consularium conciones, ac lusoria senatus consulta; unde illi ira violentior concepta, et plures apud Tiberium accusandi reperta materies[7].

At multo sæpius testamentis sive veris, sive infamandi

1. D. Cass., LX, 35.
2. Tacit., *Ann.*, XIII, 42; *Scholia ad Juven.*, v, 109; D. Cass., LXI, 10.
3. Non sine senatorum risu. Vide Tac., *Annal.*, XIII, 3. Cf. Sueton., *Nero*, 9.
4. *Apokolok.*, 5; 7; 10; 12; 13 et 14.
5. *Ibid.*, 5.
6. Suet., *Octav.*, 51. Cf. Plut., *Cato Min.*, 51 ; D. Cass., LIX, 4.
7. Tac., *Annal.*, v, 4. Cf. Sueton., *Nero*, 57.

causa confictis, probrosa in principem, aut senatores sacerdotesque verba infarciebantur. Sic Fulcinius Trio, a delatoribus accusatus, antequam moreretur, supremas tabulas confecit, quibus atrocia in Tiberii libertos injecit; sic Veiento, sub Neronis principatu, codicillos contumeliosos scripsit, « conquisitos et lectitatos, donec cum periculo parabantur; mox licentia habendi oblivionem attulit[1]. » Annæi Melæ, patris Lucani, testamento, post mortem ejus addita sunt, ut quidem creditum est, acerba verba, quibus in Crispinum Aniciumque Cerialem invehebatur[2]. Id magnæ Augusti clementiæ indicium afferunt, eum testamentorum insolentiam æquo animo tulisse[3].

Neminem sane præterit quam de Nerone supremam ultionem ceperit C. Petronius. Is, quum proconsul Bithyniæ provinciam diligenter tractasset, neque in consulatu se negotiis imparem exhibuisset, mox luxuriæ et vitiis se corrumpendum tradidit. « Illi dies per somnum, nox officiis et oblectamentis vitæ transigebatur, utque alios industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat; habebaturque non ganeo et profligator, sed erudito luxu; ac dicta factaque ejus quanto solutiora et quamdam negligentiam præferentia, tanto gratius, in speciem simplicitatis, accipiebantur. » In amicissimorum cohortem a Nerone cooptatus, atque omnium munditiarum arbiter et judex apud ipsum electus, adeo gratia crevit, ut nullam jam voluptatem princeps vellet, nisi quæ Petronii suffragio probaretur.

Hunc pessumdedit invidia Tigellini, timentis ne ab homine scientiæ deliciarum peritissimo vinceretur. C. Pe-

1. Tac., *Ibid.*, VI, 38, XIV, 50.
2. *Ibid.*, XVI, 17.
3. Sueton., *Oct.*, 55. Cf. *Cæs.*, 20. — Eo usque is jocandi genus apud Romanos invaluit, ut confictum sit Jovem ultimas suas voluntates scripsisse, ac etiam nunc habeamus Grunnii porci testamentum, quo nescio quis jurisconsultorum irrisor eorum cavillationes et captiunculas ridicule imitari voluisse videatur. (Vide apud Brissonium, *De Formulis*, VII, p. 677. Cf. S. Jer., *Contra Rufinum*, I, 17.)

tronio igitur objicit Scævini amicitiam, qui, inter conjurationis pisonianæ conscios adscitus, principem ferro aggrediendi partes susceperat; jamque unus e Petronii servis pretio corruptus erat, ut testimonio suo dominum opprimeret. Ne multa, Petronius sibi venas præcidit, exspiravitque inter amicos, non philosophorum colloquiis, sed facilium carminum auditione occupatus. Neque in suo testamento, ut pereuntium plerique, Neroni blanditias adhibuit, « sed flagitia principis, sub nominibus exoletorum feminarumque perscripsit, atque obsignata misit Neroni[1]. »

1. Tac., *Ann.*, xvi, 17 sqq.

§ VI

De Satiris, carminibus famosis ac maledicis versiculis.

Satiram, sale sabino romanaque malignitate perfusam, adversus imperatores non nunquam adhibitam esse pro certo æstimamus. Attamen pauca sunt nomina quæ secure proferamus. Etenim de Julii Flori, Manlii Vopisci et Silii satiris nihil omnino explanatum habemus[1]. Turnum, ambitione ad honores provectum, quique apud Flavios multum gratia floruit, non facile credam contra Cæsares quidquam scripsisse, etsi Martialis ipsius *ingentia pectora* liberaliter laudavit[2]. Versus vero qui Sulpiciæ, Caleni uxori[3], vulgo adscribuntur, libens tribuerim scholarum alumno, neque in primis industrio, qui odio summo efferatus in Domitianum, tyrannum jamdiu jacentem adortus est. Superest igitur ut de Persio et Juvenale aliquid subjungamus.

Aulus Persius, philosophia imbutus ab Annæo Cornuto, sodales apud magistrum nactus Claudium Agathemerum et Petronium Aristocratem *acriter philosophantes*, atque unice dilectus a Pœto Thrasea, ita ut ipsi peregrinanti quandoque comes fuerit, conversatus est cum viris et feminis stoicæ sectæ, quorum placita Cæsaribus tum tem-

1. Statius, *Silv.*, I, III, 103; Porphyr., *Schol. in Horat. Epist.*, I, II, 1; *Schol. in Juvenalem*, I, 20; Rutil., *Itinerarium*, I, 599 sqq.
2. *Schol. in Juv.*, *loco cit.;* Martial., XI, 10; Sid. Apoll., *Carmina*, IX, 266; Rutilius, *Itiner.*, I, 603.
3. Mart., X, 38; Sid. Apoll., *Carm.*, IX, 262. Cf. Sulpic., *Satira*, 62.

poris imperium obtinentibus non probabantur. Ipse versus de Arria, Pœti Cæcinæ uxore, quæ se ante virum, mortis exemplum et incitamentum datura, occiderat, scripsisse fertur. Verumtamen vix in Persii satiris pauca reperias, quibus principes offendi possint. Eas enim, ne cuiquam periculum afferrent, antequam Cæsio Basso, Persii amico, committeret edendas, accurate Cornutus expurgavit[1], versibus præcipue ademptis quibus studia Neronis poetica irrideri videbantur. Quum enim Persius sic scripsisset: « Auriculas asini *Mida rex* habet, » in hunc modum, inepte quidem, sed prudenter, a Cornuto is locus est emendatus : « Auriculas asini *quis non* habet[2]? » Ita ille satirarum libellus excussus est, ut innoxie jam in publicum prodire posset. Non tamen abolendum Cornutus censuit unum vel alterum Neronis versum haud reverenter a Persio prolatum[3]. Quidam crediderunt Neronem esse hunc hominem quem Persius in suam *De votis* satiram induxit deos his verbis precantem :

> Pupillumve utinam, quem proximus hæres
> Impello, expungam! Namque est scabiosus et acri
> Bile tumet[4]!

Quod si pupillus misellus ille, ut ingeniose conjecerunt, non alius fuerit ac Britannicus, quem Nero veneno *expunxit,* id profecto temere et periculose dictum est. Sed hæc subtilius quam verius excogitata esse arbitror.

Fama est, auctore incerto, Juvenalem versus in Paridem pantomimum, Domitiano amatissimum, occulte composuisse[5], ac multo post satirarum libris eosdem inseruisse; venisse igitur in suspicionem quod histrionem

1. *Vita Persii* (auctore incerto).
2. Persius, I, 121.
3. I, 93-95; 99-102; *Schol. in Pers.*, *ibid.* — Neque jocos Cornutus delevit de centurionum *hircosa* et *varicosa* gente (III, 77; V, 190).
4. II, 12-14.
5. « Quod non dant proceres, dabit histrio, etc. » (Juven., VII, 90 sqq.)

alterum, apud Cæsarem tunc præpotentem[1], figurate notavisset, et statim, quanquam octogenarium, per speciem honoris et præfecturæ cohortis, extorrem factum, mox angore et tædio consumptum, periisse[2].

Perobscura ea vel confutare, vel diligentius perpendere non mihi in animo est. Quidquid est de ea re, Juvenalis, plurimis sub imperatoribus, vitam longam, inter scholarum declamationes, tute degit, ita periculi timidus, ut diutius ne modico quidem auditorio versus recitare ausus sit[3]. Non igitur Juvenalem in eorum numero posuerim qui Cæsares abrupta contumacia et inexorabili odio consectabantur. Is sane principibus non adversabatur, qui Trajanum vel Hadrianum magnifice laudavit, quod *tristes hac tempestate Camœnas* fovebat, ac litteras alebat[4]. Si vero præsentia tempora acriter insequitur, nihilque prorsus illi in suo sæculo placet, istas querelas, apud historicos et philosophos forte pro seditiosis habendas, satirarum scriptores sine damno sibi permittebant; hinc enim exsistebat carminis hujus maledici materies, ac *farrago libelli*[5]. Licet igitur Juvenalis immodico tumore turgescat, et iracunde clamitet :

> Nil erit ulterius, quod nostris moribus addat
> Posteritas[6] !

Attamen ex Domitiani imperio ingens in *calvum Neronem*[7] odium conceperat. Nemini memoria excidit immortalis illa satira de senatoribus semnisomnis, nocte ad curiam de pisce capto vocatis,

> In quorum facie miseræ magnæque sedebat
> Pallor amicitiæ[8].

1. Sub Hadriano, ut multis placet.
2. *Vitæ Juvenalis.* Cf. Sidon. Apoll., *Carmina*, IX, 267 sqq.
3. *Vit. Juven.*
4. *Sat.*, VII, 1-21.
5. I, 86.
6. I, 147.
7. IV, 38.
8. IV, 74.

Pegasus, urbi præfectus, male cincta properat toga, et Montanus ventre tardus, et Crispinus matutino unguento sudans, Catullusque, cæcus adulator, qui conversus in lævum, piscem miratur dextera positum[1].

Atque utinam his potius nugis tota illa dedisset
Tempora sævitiæ, claras quibus abstulit urbi
Illustresque animas, impune et vindice nullo[2].

Poterat quidem Juvenalis, sine capitis discrimine, Trajano imperante, ineptias tyranni irridere; ne credas tamen velim seram hanc ultionem inutilem fuisse. Post Domitianum alios posse exsurgere Domitianos multa documenta convincebant, neque nihil proderat « in futurum sub exemplo præmonere, nullum locum, nullum esse tempus quo funestorum principum manes a posterorum exsecrationibus conquiescant[3] ».

Carminibus præsertim levissimis inimicitiæ in Cæsares gerebantur. Namque nemo prope tam illitteratus Romæ erat, qui paucos versiculos maligne concinnatos nequiret factitare, ut Sabellus ille, quem Martialis eleganter perstrinxit :

Quod non insulse scribis tetrasticha quædam,
  Disticha quod belle pauca, Sabelle, facis,
Laudo, nec admiror; facile est epigrammata belle
  Scribere[4].

Si quis vero forte litterarum plane rudis esset, carmina tamen, pro munere saturnalitio empta ex cliente, habebat quæ familiaribus, tanquam sua, recitaret,

Nam quod emas, possis dicere jure tuum[5] !

Mos erat ut illæ nugæ in celebri convivio, vel in *schola*

1. *Sat.*, IV, 76 sqq. Cf. Plin., *Epist.*, IV, 22.
2. *Sat.*, IV, 150-152.
3. Plinius, *Panegyr. Trajani*, 53.
4. *Epigr.*, VII, 85.
5. *Ibid.*, II, 20.

poetarum, in doctorum hominum circulis, aut apud feminas nobiles recitarentur, inde mox per totam urbem fama divulgandæ[1]. Ibi enim colloquia liberius conferri, sermone mutuo acui ingenium, res publicæ tractari[2], vitia corrigi, provinciarum præfecturæ dari, dicteria omnimoda misceri, viri potentes jocis lacessi petulantibus. Quando igitur aliquis Cæsarum apud elegantiores offensionem susceperat, versiculis plerumque carpebatur, quamvis metus esset ne *rumigeruli clandestini*[3], circulis et epulis admixti, sermones incautorum improbe captarent. Quum Rufus, vir ordinis senatorii, inter pocula dixisset se optare ne Augustus salvus rediret ex expeditione quam tunc parabat, fuerunt qui illa hominis ebrii dicta diligenter audirent, atque ad principem referrent[4].

Julium Cæsarem epigrammata maledica læserunt. Non ibi nobis propositum est memorare Calvi et Pitholæi aspera in Cæsarem carmina, aut Catulli de fœdis amoribus Julii et Mamurræ versus atrociter compositos[5], aut militum lusus triumphales. Quum vero in consulatu Bibulum collegam haberet, ac nihilominus omnia in republica ita solus administraret, ut quidam, per jocum, non ex Bibulo et Cæsare, sed ex Julio et Cæsare consulibus annum actis privatis scriberent, illi versus per circulos sparsi sunt :

> Non Bibulo quidquam nuper, sed Cæsare factum est;
> Nam Bibulo fieri consule nil memini[6].

1. De conviviis et circulis lege præsertim Cic., *Ad Atticum*, II, 18, et *passim;* Tacit., *Annal.*, III, 49; VI, 7; XIV, 48; *Histor.*, III, 54; Seneca, *Ep. ad Luc.*, 44; *De Const. Sap.*, 11; Mart., II, 86; XII, *Præf.; Paneg. Pisonis*, 114 sqq.; A. Gell., IV, 1; XVII, 18 et *passim;* Capit., *Pertinax*, 13; Amm. Marc., XXVIII, 4; etc. — De schola poetarum mentionem habet Martialis, III, 20, et IV, 61.
2. T. Liv., XLII, 22 : « In omnibus circulis et conviviis sunt qui exercitus in Macedoniam ducant. » — Tiberius, apud Tac., *Ann.*, III, 54, queritur in conviviis et circulis incusari quæ aguntur.
3. Sic apud Am. Marc., XIV, 1. Cf. XV, 3.
4. Seneca, *De Benef.*, III, 27. At Rufo Cæsar Augustus, pro sua clementia, imprudentiæ veniam dedit.
5. Catullus, 29 et 57; Sueton., *Cæsar*, 73.
6. Suet., *Cæs.*, 20. Cf. 80.

Nemo imperatorum Romanis dilectior quam Augustus fuit; neque alium tamen frequentius locis lacerarunt. Bello Siciliensi, classis Octaviana, cladem perpessa, his versibus locum dedit :

Postquam bis classe victus naves perdidit,
Aliquando ut vincat, ludit assidue aleam[1];

rumor enim erat Octavium, quum hæc in Sicilia agerentur, per mollitiem et ludum vitam degere ignavam. Malignorum fabulis cavillationibusque materiam quoque præbuit cœna sacrilega, quæ Δωδεκάθεος appellata est. Nam Octavium atque undecim alios convivas, sub deorum dearumque majorum cultu et veste discubuisse dictum est, Octavium ipsum Apollinis habitu. Omnium indignationem auxit magna tum in urbe annonæ caritas, ac propemodo fames, « neque mirum esse, aiebant, si frumentum desset, quandoquidem dii plebis romanæ cibos comederant » ; moxque clancularius auctor hos versus, statim per totam civitatem publicatos, factitavit :

Quum primum istorum conduxit mensa choragum,
Sexque deos vidit Mallia[2], sexque deas,
Impia dum Phœbi Cæsar mendacia ludit,
Dum nova divorum cœnat adulteria;
Omnia se a terris tunc Numina declinarunt,
Fugit et auratos Juppiter ipse thronos[3].

Plures apud Suetonium supersunt mordaces versiculi contra Tiberium compositi, quibus principi sævitia, vinique appetentia, ac modica erga Liviam matrem reverentia crimini dabantur. Eos vero, quum Tiberio Rhodiensem sub Augusto secessum, ac pene exsilium, exprobrarent, illi magnopere molestos fuisse credimus :

Adspice felicem sibi, non tibi, Romule, Sullam,
Et Marium, si vis, adspice, sed reducem,

1. Suet., *Octav.*, 70.
2. Erat autem ista Mallia meretrix.
3. Clamabat populus Cæsarem esse vere *Apollinem*, sed *Tortorem* « quo cognomine is deus quadam in parte urbis celebratur ». (Suet., *loco cit.*)

Necnon Antoni civilia bella moventis
Non semel infectas adspice cæde manus;
Et dic : Roma perit. *Regnabit sanguine multo*
Ad regnum quisquis venit ab exsilio[1].

Multa quoque in Neronem græce et latine producta sunt, ut illud :

Νέονυμφος Νέρων ἰδίαν μητέρα ἀπέκτεινεν.

idque multo lepidius, post Agrippinæ occisionem, inventum :

Quis neget Æneæ magna de stirpe Neronem?
Sustulit hic patrem; sustulit ille matrem[2]!

Sed quæ hoc modo in reliquos primi sæculi Cæsares commissa sunt[3] prætereo.

Altero ac tertio sæculo, quanquam furor poeticus jam valde deferbuerat, atque ad alia studia se prope omnes converterant, non defuerunt tamen qui principes asperis versiculis aggrederentur. In Macrinum præcipue invecti sunt, ejusque filium Antoninum Diadumenum, de quo non stulte latino et græco carmine dictum : eum in somno unum ex Antoninis fuisse.

Nonnullis imperatoribus ea carmina carmine confutasse placuit. Idem ille Macrinus contra eos qui se lacessissent iambos fecit[4]; necnon Alexander Severus, a malo poeta petitus, quasi venustatem oris ac *leporem* haberet ex *lepore* comeso, his ineptiis versibus græcis respondit[5].

1. *Tiberius*, 59.
2. *Nero*, 39.
3. « Cornix in Capitolio elocuta est : Ἔσται πάντα καλῶς. Nec defuit qui ostentum sic interpretaretur :

Nuper Tarpeio quæ sedit culmine cornix,
Est bene non potuit dicere; dixit *Erit.* »

(Suet., *Domit.*, 23. Cf. *Ibid.*, 14; *Otho*, 3; etc.).
4. Capit., *Macrin.*, 11 et 14.
5. Lamprid., *Alex. Sev.*, 38.

Quum autem Hadrianus plurimos in provinciis imperii romani peragrandis annos consumpsisset, atque ideo ex Floro cavillationes eas suscepisset :

Ego nolo Cæsar esse,
Ambulare per Britones,
Scythicas pati pruinas,

jocum statim joco ita repunxit :

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Calices pati rotundos[1].

Carmina maledica non tantum per eruditorum cœtus circumferebantur, sed etiam in circis ac theatris, et quocumque plebs confluëret, vulgo canebantur. Hæc in Cæsarem, qui Gallorum viros principes, vix debellatos, ac barbariæ rubigine sordidos adhuc, in ordinem senatorium legisset, modulatis sonis producta sunt :

Gallos Cæsar in triumphum ducit, idem in curiam;
Galli bracas deposuerunt, latum clavum sumpserunt[2].

Contra Neronem cantilenæ acerbiores vulgatæ sunt[3]. Postquam Commodus interfectus est, adeo ejus morte populus lætatus est, ut effusus in theatrum, quæ carmina ad vivi honorem cantare solebat, eadem per irrisionem, ac sensu verborum subtiliter immutato, vociferans concineret[4].

Scripta quoque famosa basilicarum et templorum columnis, forive parietibus affigebantur, quamvis id senatus consultis prohiberetur[5], ac principum constitutionibus edictum fuisset, « ea quæ infamandi alterius causa

1. Spart., *Hadr.*, 16.
2. Suet., *Cæsar*, 80.
3. Plut., *Galba*, 4.
4. Dio Cassius, LXXIII, 2. — Vide etiam, de cantilenis maledicis, Suet., *Cæsar*, 49; *Nero*, 42; *Galba*, 13. Cf. *Ibid.*, 6; *Vitell.*, 11; *Octav.*, 57.
5. *Dig.*, L. XLVII, T. X, v, § 10 : « ... Pœna tenetur ex S. C. is qui ἐπιγράμματα, id est, inscriptiones, aliudve sine scriptura, in notam aliquorum produxit. »

in monumenta publica posita essent, tolli de medio[1] ». Sæpenumero his *proscriptionibus* principes carpti sunt. Quum Julius Cæsar multorum invidiam subiisset, quod peregrinos, Gallos præsertim, ut supra diximus, in senatum aggregarat, iste propositus est libellus : « Bonum factum. Ne quis senatori novo curiam monstrare velit; » Brutique simulacro quidam subscripsere : « Utinam viveres[2] ! » Ad Augusti vero statuam adscriptum est : « Pater argentarius, ego corinthiarius, » eo quod Augustus nonnullos homines, ut opinio erat, inter proscriptos referri curaverat, eorum vasa corinthia direpturus[3]. Post Germanici mortem, quia credebatur Tiberium hujus viri mortis conscium fuisse, frequentissimis locis inscribebatur : « Redde Germanicum[4] ! » Ubi Vitellius edicto jussit ut intra calendas octobris astrologi urbe et Italia excederent, statim libellus est nocte proscriptus, quasi Chaldæi contra edicerent « ne Vitellius intra eumdem calendarum diem usquam esset[5]. » Ne vero sim longior, ac singula diutius persequar[6], unum tantum *proscriptionis* versu compositæ exemplum afferam. Nero magnam urbis partem everterat, ut *Domum Auream* magnificentissime exstrueret; muris igitur inscriptum fuit :

Roma domus fiet; Veios migrate, Quirites,
Si non et Veios occupat ista domus[7].

Præter ea quæ in medium attulimus, atque alia plura quæ afferre in promptu fuisset, multos homines, apud rerum romanarum auctores, reperiuntur in principes deliquisse, quod « *maledicentissima carmina*[8] », « *detestanda car-*

1. *Ibid.*, L. XLVII, T. X, 37.
2. Suet., *Cæsar*, 80.
3. *Octav.*, 70.
4. *Tiber.*, 52.
5. Quo die, ut narrant, re vera occisus est. (*Vitell.*, 14; D. Cass., LXV, 1.)
6. Cf. Suet., *Nero*, 45; *Dom.*, 13; D. Cass., LXVI, 11; Capit., *Macrin.*, 11.
7. Suet., *Nero*, 39.
8. Suet., *Cæsar*, 75.

mina[1] », « *famosa carmina*[2] », « *probrosa carmina*[3] » commisissent. Fuerintne vero illa carmina satiræ, an epigrammata, vel comœdiæ, vel *lusus saturnalitii*, vel cantilenæ, non satis apparet. Non igitur explorabo cujus modi fuerint contumeliosi versus quibus a Paconiano, Ælio Saturnino, Cominio, Montano, Sosianoque Tiberius ac Nero læsi sint[4], neque quid esset famosum id carmen quo Lucanus tum Neronem, tum potentissimos ejus amicos gravissime proscidisse dicitur[5]. Sæpius tamen, ut ego quidem ex Quintiliani loco suspicor, carmina « aspera et maledica » iambis grassabantur[6].

1. Tac., *Annal.*, xvi, 28.
2. *Ibid.*, xvi, 29; Suet., *Oct.*, 55; *Tib.*, 28.
3. Tac., *Ibid.*, iv, 31; xiv, 48; xv, 49; xvi, 14. Cf. i, 72; vi, 39; D. Cassius, lvii, 22; etc.
4. Cf. infra, *Parte IIa*, § 3o.
5. *Vita Lucani.*
6. Quint., ix, 4. Cf. Plut., *Cato Minor*, 7; Capit., *Macrinus*, 14; etc.

§ VII

De tragœdiis et comœdiis.

Scenicum opus se commode flectebat ad ea significanda quæ temporum opportunitas caperet, sive homines litteris exculti, atque in circulos adsciti, recitatam fabulam audiebant, sive vulgus, in theatro, spectaculo intererat.

Novissimis status popularis diebus, ludicræ commissiones sæpissime fecerunt occasionem animadvertendi quæ in res præsentes incidere videbantur, quamvis plerumque id auctores minime cogitassent. Pauca exempla producere satis erit. Æsopus tragœdus, Attii poetæ *Eurysacen* agens, Ciceronis tum exsulantis causam aperte tractabat, et revocabatur a spectantibus, quum ea declamaret : « Re dubia, nec dubitavit vitam offerre, nec capiti pepercit... O ingrati Argivi, immemores beneficii[1] ! » Atque in ejusdem Attii *Bruto*, ex regis Tullii nomine alludens oratori Marco Tullio, ingentes plausus ibi movebat : « *Tullius,* qui libertatem civibus stabiliverat[2]. »

Refert Suetonius cantata esse verba quædam, post Cæsaris occisionem, ad commovendam miserationem cædis ejus, accommodata ex Pacuvii *Armorum Judicio :*

Men' me servasse, ut essent qui me perderent[3] !

Observatum est, inter alia signa quæ Neroni exitum por-

1. Cic., *Pro Sextio*, 56 et 57. Cf. *Ibid. :* « Quanto cum gemitu populi romani in eadem fabula : *O pater!* Me ille absentem patrem deplorandum putabat, quem multi sæpe in senatu patriæ parentem nominaverant. »
2. *Ibid.*, 58.
3. Sueton., *Cæsar*, 85; Appian., *Bella civ.*, II, 14. Cf. Cic., *Ad Atticum*, XVI, 5.

tendebant, eum ultimam publice fabulam egisse *Œdipodem exsulem*, atque hunc novissimum versum recitasse :

Θανεῖν μ' ἄνωγε σύγγαμος, μήτηρ, πατήρ[1].

Multis ægre ferentibus Pertinacem, tenui genere natum, ad consulatus honorem esse provectum, tantummodo ob res præclare in bello gestas, de illo pronuntiarunt quod Euripides, in *Feminis Supplicantibus*, dixit : « Hæc sunt belli flebilis emolumenta[2]. »

Sed frequenter ipse auctor fabulæ interponebat quæ vellet, inflexo sensu, de rebus præsentibus intelligi. An tamen Senecæ in animo fuerit, suis in tragœdiis, romanos principes impetere incertum est; quanquam Neronis magister, irrita præcepta recordans, hæc scripsisse videtur :

Nec me fugit quam durus et veri insolens
Ad recta flecti regius nolit tumor[3].

Nonne Tiberium, principem popularis auræ fastidiosum, qui Romanorum utrum amorem an odium in se concieret parvi faciebat, his verbis Seneca expressit?

Regnare non vult, esse qui invisus timet.
Ista simul mundi conditor posuit Deus
Odium atque regnum; regis hoc magni reor
Odia ipsa premere[4].

Conjectare licet Cornutum stoicum et Persium satiricum, qui tragœdias feruntur composuisse[5], non se tenuisse quominus in tyrannos quædam injicerent. Utcumque est, multi alii certe non abstinuerunt obliquis in principes contumeliis. Si Agamemnona in *Atreo* probris auctor petiverat, auditores regem superbum et arrogantem, Tiberium scilicet, statim agnoscebant; si Cato in tyrannum quidquam

1. Suet., *Nero*, 46; D. Cassius, LXII, 28. Cf. Suet., *Calig.*, 57.
2. D. Cassius, LXXI, 22; Eurip., *Suppl.*, 119.
3. Seneca, *Hippol.*, 136.
4. *Phæn.*, 654.— Cf., si vis, *Herculem fur.*, 511, cum Sueton., *Tib.*, 61; etc.
5. *Vita Persii.*

declamaverat, optime noverant quem Cato dixisset. Id quidem sine periculo non erat; namque accidebat ut *Agamemnon* his ludis commoveretur, atque auctores, haud aliter atque ille insolens dux Argivos, sceptro plecteret. At periculum ipsum voluptatis non nihil afferebat, magnamque ea temeritas famam auctoribus afferebat : « Hinc ingentes exsistebant assensus, hæc in ipsis auditoriis præcipue laudabantur, et mox omnium sermonibus fiebant[1]. »

Sub Tiberio, Scaurus Mamercus, antiqua Æmiliorum gente ortus, licentiæ experimentum suo damno fecit. Vir erat eloquentia insignis, uberrimus ea ætate orator. Nihil eo venustius, si paratus ad dicendam causam accederet : « Ipse vultus habitusque corporis mire ad oratoriam auctoritatem aptatus. » Sed neglectæ plerumque actiones, in quibus tamen aliquid eminentis ingenii superabat[2]. Alioquin, vita probrosus, et qui, Silanum senatorem accusando, nomen illustre dehonestaverat[3]. Septem orationes edidit, plenas contumeliarum, ut videtur, quæ ex senatus consulto combustæ sunt[4]. Jamdiu Tiberio invisus[5], postremo majestatis postulatus est. Servilius et Cornelius accusatores palam ipsi objiciebant adulterium cum Livilla et magicas artes; at occulta et verior cognitionis causa erat denuntiatum argumentum tragœdiæ *Atrei* a Mamerco scriptæ ; in fabula enim homo erat qui amicum hortaretur ut *sui regis superbiam et libidinem* æquo animo ferret. Suadente Sextia uxore, Mamercus sententiam anteivit, et sibi ipse mortem adscivit[6].

Neronis ac Vespasiani temporibus, Curiatius Maternus[7],

1. *Dialog. Orat.*, 10.
2. Seneca, *Controv.*, v, *Præf.* Cf. *Ibid.*, I, 2; Tacitus, *Ann.*, III, 31.
3. Tac., *Ann.*, III, 66.
4. Seneca, *loco cit.*
5. Tacit., *Annal.*, I, 13; VI, 9.
6. Tac., *Ann.*, VI, 29; D. Cassius, LVIII, 24; Suet., *Tiber.*, 61. Cf. Senec., *Suas.*, 2.
7. Forsan idem est ac Maternus rhetor a Domitiano occisus. (D. Cassius, LXVII, 12.)

patronus causarum non ignobilis, a forensi labore pene destitit, ut ad tragicas fabulas se totum converteret, inde famam ampliorem consecuturus. Paulo post Neronem eversum, « improbam potentiam, et studiorum quoque sacra profanantem » ultus est[1]. Sexto rursum Vespasiani anno, recitato suo *Catone*, principem graviter læsit. Vespasianus enim, initio dominatus, parum probabilis fuit gentibus patriciis, quippe qui, ex humili loco advectus ad superiora, nullam majorum imaginem in atriis ostentare posset[2]. *Catonis* offensæ animos vario studio distraxerunt, ac per urbem, in conviviis et circulis, de ea re sermo frequens habebatur ; alii enim hominis viriliter factum admirabantur, plurimi Maternum vituperabant, cur ultro et inconsultus pericula adiret. Secundus, ipsius amicus, suadebat ut saltem suam tragœdiam diligenter retractaret, antequam librariis traderetur edenda, et, circumcisis locis qui pravam interpretandi materiam dederant, *Catonem* securiorem emitteret. Maternus vero obsistebat, ac Secundo respondebat : « Leges, si volueris, et agnosces quæ audisti ; quod si qua omisit *Cato*, sequenti recitatione *Thyestes* dicet ; hanc enim tragœdiam disposui jam, et intra me formavi. Atque ideo maturare hujus libri editionem festino, ut, dimissa priore cura, novæ cogitationi toto pectore incumbam[3]. »

Una superest prætexta fabula, quæ *Octavia* inscribitur. Multo post Neronem, procul dubio, contexta est, quando jam *tyranni*[4] flagitia et scelera detestari absque periculo licebat. Britannico et Agrippina interemptis, Nero uxori Octaviæ, Claudii filiæ, repudium remittit; quo divortio plebem exacerbatam et tumultuantem multa strage cædit; Octaviamque in exsilium ejectam, mox jubet occidi. Ea

1. Locus forte corruptus; alii tragœdiam in Neronem, alii vero in Vatinium intelligunt.
2. Suet., *Vespas.*, 1. Cf. 15.
3. *Dialog. Orator.*, 2, 3, 10 et 11.
4. Vide *Octav.*, 87, 110; etc.

est totius fabulæ summa, sceleribus insuper insertis quæ Nero passim in proceres admisit[1]; ex quo suspicamur *Octaviam* a cliente domus nobilis scriptam esse. Ille, quisquis est, qui fabulam condidit, potissimum in eo incubuit, ut in Neronem odium ingens commoveret, eumque tanquam immanissimum humani generis hostem effingeret. Octavia nullum habet finem allatrandi Neronem, vovendique inferis:

Utinam nefandi principis dirum caput
Obruere flammis Cœlitum Rector paret!
... Pœna nam gravior nece est
Videre tumidos et truces miseræ mihi
Vultus tyranni, jungere atque hosti oscula,
Timere nutus[2].

Illæ quidem limatissimæ fabulæ, in recitationem plerumque allatæ, aures eruditorum illiciebant, qui subtiliter et apparate dictis præcipue permulcebantur. Plebi urbanitatis minus, plus virium opus erat; at scenæ spectacula comica suppeditabant unde multitudo ipsa oblectaretur. Ibi enim « plurima vulgi licentia[3] »; ibi populus velut perpetuos agere dies saturnalitios, non tacitus indignari, insolenter dominos suos increpare, adversum principes, si quid deliquisse ipsi viderentur, liberius conviciari. Ex mediocritate fortunæ, pauciora plebi pericula erant, ad quam, ob humilitatem conditionis, imperatorum ira raro descenderet, cujusque petulantiam ferrent patienter[4]; si forte populus, in attellanico exodio, facetum quid et Cæsari contumeliosum apprehendisset, atque assensu comprobasset, eam vulgi libidinem Cæsares plerumque non tanti faciebant, ut vi refringendam esse existimarent.

Histrione nihil magis spurcum et infame[5]; sacris certa-

1. Vide, exempli gratia, vers. 437 sqq. Cf. Tacit., *Annal.*, XIV, 57-59.
2. *Octavia*, 227; 108; etc.
3. Tac., *Histor.*, I, 72.
4. Vide D. Cass., LIX, 26; Tac., *Annal.*, XIV, 60; etc.
5. Vopiscus (*Carinus*, 16) eodem numero reponit mimos, meretrices, cantores. Cf. Treb. Pollion., *Trig. Tyr.*, 8 : « Quum Gallienus vino et popinis vacaret, quumque se lenonibus, mimis et meretricibus dederet, etc. » Cf. Tac., *Hist.*, II, 71.

minibus prohibebantur, atque, sub Tiberio, inter crimina capitalia Falanio objectum est, quod Augusti cultoribus Cassium mimum aggregasset[1]. Verumtamen histriones inter delicias procerum habebantur[2], domosque privatas et ipsum Palatium fœdis amoribus conturbabant[3]; quanta cura laborabatur, « ne cujuslibet pantomimi nomen intercideret[4]! » Ignominia pariter et favor istos homines profligatissimos et amatissimos adversus magna pericula tuebantur. Omnium contemptu et gratia defensi, nullo impudentiæ ac temeritatis genere abstinebant, adeo ut viros feminasque illustres in scena procaciter peterent[5].

Effrenata theatri licentia in vitium sæpius excidebat; inde initia, ut plurimum, habebant turbæ populares. Si plebs forte inopia frumenti laboraret, vel moleste ferret aliquid sibi injucundum esse factum, vel qualibet de causa gravaretur, in spectaculum effusi, ad querelas, mox ad seditionem prorumpebant. Sub Tiberio, centurio et milites occisi sunt, vulneratus quoque tribunus prætoriæ cohortis, dum vulgi probra in magistratus cohibere aggrediuntur.

Hanc plebeculæ ferocitatem severis edictis coerceri necesse fuit. Augustum quidem ei ludicro indulsisse refert Tacitus, « dum Mæcenati obtemperat; neque ipse abhorrebat a talibus studiis, et civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. » Satis habuit Stephanionem togatarium, flagellis cæsum, relegasse, et Pyladem Italia submovisse, quod spectatorem, a quo exsibilabatur, digito demonstrasset[6]; is tamen Pylades haud injucunde Augusto dice-

1. Tac., *Ann.*, XIV, 21; I, 73.
2. Seneca, *Ep. ad Luc.*, 47; *De Ira*, I, 16; Tac., *Annal.*, I, 77; Suet., *Claudius*, 45; *Domit.*, 15; Mart., IX, 29; A. Gellius, XX, 4; Plin., *Epist.*, VII, 24 : « Habebat Quadratilla pantomimos, fovebatque effusius, quam principi feminæ conveniret »; Capit., *Verus*, 8; etc.
3. Juven., VI, 63 sqq.; Capit., *Anton. Philos.*, 23; Tacit., *Annal.*, XI, 28; XIII, 19 et 22; etc.
4. Seneca, *Quæst. natur.*, VII, 32.
5. Seneca, *Ibid.*, I, 16; Minucius Felix, *Octav.*, 34; Tacit., *Ann.*, XI, 13.
6. Tac., *Ann.*, I, 54; Suet., *Octav.*, 45.

bat : « Tibi expedit, Cæsar, populum circa nos scurras et histriones occupari[1]. »

Primo tiberiani principatus anno, ludos Augustales turbavit discordia ex histrionum certamine orta; hanc tamen petulantiam molliter Tiberius refregit, quippe qui, nondum imperii securus, populum jampridem ab Augusto comiter tractatum, non auderet durius increpare. Sed anno posteriore, quum plebis et comœdorum intemperantia gravius erupisset, ac theatra seditione ac cædibus miscuisset, de re apud Patres actum. Prætores poscebant ut histriones virgis, pro suo arbitrio, castigandi jus penes se haberent. Id quidem, renuente Tiberio, ipsis non concessum; sed, ne histriones magnos spiritus sibi sumerent, eorum mercedes recisæ sunt, et constitutum præterea « ne domos pantomimorum senator introiret; ne egredientes in publicum equites romani cingerent; aut alibi quam in theatro spectarentur; et spectantium immodestiam exsilio mulctandi potestas prætoribus fieret[2] ».

Ea tamen ad coercendam histrionum arrogantiam parum profecerunt, ac sine ulla intermissione magistratus querebantur irrita esse quæ adversus theatri libertatem edicta fuerant; iterum igitur ad Patres Tiberius retulit de castiganda histrionum nimia libertate : « Multa ab iis in publicum seditiose, fœda per domos tentari ; Oscum ludicrum eo flagitiorum et virium venisse, ut sit omni modo auctoritate publica reprimendum. » Histriones, propter quos discordia erat, et factionis principes urbe et Italia pulsi sunt, neque ut eos revocaret ullis unquam populi precibus Tiberius flecti potuit[3]. Eadem severitate de theatri licentia a divo Claudio sancitum; is enim populi lasciviam graviter retudit, quoniam, occasione scenicæ fabulæ, in Pom-

1. Dio Cassius, LIV, 17; Macrob., *Saturn.*, II, 7.
2. Tacit., *Ann.*, I, 54 et 77. Cf. D. Cass., LVI, 47; LVII, 11.
3. Tacit., *Ibid.*, IV, 14; VI, 13; Suet., *Tiberius*, 34 et 37. Cf. Vell. Paterc. : « Repressa (a Tiberio) theatralis seditio. » (*Hist.*, II, 126.)

ponium, consularem virum, et feminas primi ordinis vulgus maledictas jecerat[1].

Quamdiu Seneca plurimum auctoritatis apud Neronem retinebat, in theatri factiones aspero more consulebatur, relegatis histrionum fautoribus, ac militibus ad severam custodiam adhibitis, ne plebs effrenatius in tumultum abiret. Ubi vero princeps nihil antiquius habuit quam ut artem ludicram ipse exerceret, atque Herculem furiosum, Œdipodem exsulem, Orestem matricidam, Canacen parturientem[2], spectaculo datus, ageret, comœdorum et spectantium licentiam reliquit inultam. Imo vero Suetonius narrat, quod vix crediderim, quum in theatro « ad manus ventum esset, lapidibus et subselliorum fragminibus decerneretur, multa et ipsum jecisse in populum, atque etiam caput prætoris consauciavisse. » Impune, spretis magistratibus, histriones et aurigæ urbem factionibus implebant, donec, gliscente discordia, et gravioris tumultus metu, non aliud tanto malo remedium repertum est, quam ut histriones incontinentissimi rursus Italia removerentur, milites arctius in theatro excubias agerent, ac prætor iis qui comœdorum partibus favebant in vincula duceret[3].

Galba, ubi primum imperii compos factus est, statim disquisitionem instituit de iis scenicis qui dona ex ærario sub Nerone cepissent, idque causa fuit cur vulgi odium in se concitaret[4]. Domitianus histrionibus scena publica interdixit, copia tamen facta ut intra privatas domos exercerent fabulas[5]. Ne longum sit, imperatoribus crebro de theatri libertate consultum est, comœdis modo ejectis, modo in scenam revocatis[6].

1. Tac., *Ibid.*, XI, 13.
2. Quum quidam quæritaret quod negotium tunc ageret imperator, facete responsum est : « Parturit. » (D. Cass., LXIII, 9.)
3. Tacit., *Ann.*, XIII, 24, 25 et 28; Suet., *Nero*, 16, 21 et 26; D. Cassius, LXI, 8. Cf. Tac., *Ibid.*, XIV, 15 et 21; XVI, 21; D. Cass., LXIII, 9; Lucian., *Salt.*, 9; etc.
4. Plut., *Galba*, 16.
5. Sueton., *Domit.*, 7.
6. Plin., *Pan. Traj.*, 46; Suet., *Caligula*, 27; Capit., *Anton. Phil.*, 11; Lamprid., *Comm.*, 3.

Qui fieri poterat ut, in tanta theatri insolentia, histriones et plebecula se continerent quominus imperatores ipsos vellicarent? Multa contra Cæsares facete vel contumeliose dicta reperias apud historiæ romanæ auctores, sive atellanus vel mimographus probrum in principem consulto fabulæ inseruerat, sive comœdus ex tempore aliquid joculariter in Cæsarem repererat, sive pantomimus Χειρόσοφος[1] « loquente gestu, linguosis digitis et loquacissimis manibus[2] » aliquid imperatori dedecorum aut molestum expresserat, seu denique ipse populus, ut acutus erat, versum ambiguum ad principem petulanter deverterat.

Quis non meminit quanta licentia Decimus Laberius, quum senex et eques romanus a Julio Cæsare quasi coactus esset ut prodiret in scenam, et suum mimum ipse ageret, dictatorem in fabula adeo momorderit, ut populo vindicem libertatis, ac Cæsari interfectorem pene prædiceret[3]? Augusto quidem spectante ludos, ac histrione dicente : « O dominum æquum et bonum! » id, ut verissime de principe pronuntiatum, exsultans plebs assensu magno comprobavit[4]. Eadem vero, in contumeliam Augusti, quia ille minus bene audiebat, quod pronus in venerem esset, subtiliter accepit hunc locum de Cybeles lascivo sacerdote tympanum pulsante prolatum :

Viden' ut cinædus orbem digito temperet[5]!

Quum Tiberius Malloniam quamdam, feminam illustrem, stupri commercium pati recusantem, accusatoribus tradidisset, et illa, relictis judicibus, domum aufugisset, atque, ut altera Lucretia, se gladio confodisset, populus,

1. Lucianus, *Salt*,, 69.
2. Sid. Apoll., *Carmina*, XXIII, 269; Cassiodorus, *Variar.*, IV, 51. Cf. I, 20.
3. Suet., *Cæsar*, 39; A. Gellius, XVII, 14; Macrob., *Saturn.*, II, 7. Cf. Senec., *Controv.*, III, 18.
4. Suet., *Octav.*, 53.
5. *Ibid.*, 68.

proximo ludorum solemnium die, in atellanico exodio versum arripuit, qui ad principis libidinem spectare videretur, eumque, cum magna Tiberii ignominia, iterato decantavit[1]. Caligula poetam, qui atellanam histrionibus agendam dederat, ob dubium jocum cremasse dicitur[2]. Neque populus abstinebat quin in Cæsaris amicos aut libertos versus ambiguos conferret. Nam, ubi vulgatum illud, in scena, sub Claudio, dictum est : « Res non ferenda, verbero opibus et potentia florens, » statim omnium oculi ad Polybium conversi sunt. Ille vero, nequaquam animo confusus, statim retorsit ab eodem poeta esse dictum : « Reges quoque fuisse de *caprariis*[3] ; » quasi contumeliose in Claudium injiceret, quod, inter Claudiæ gentis Cæsares, Tiberius exsul ille *Capreensis* exstitisset.

Id autem multo atrocius in Neronem, jam nutantem et imperio labefactum, ab histrione commissum est. Quum is enim in atellanæ cantico pronuntiaret : « *Salve, pater !* » ita bibentem effinxit, ut omnes se videre crederent istud poculum quod, Haloto spadone porrigente, Claudius ultimum exhausit; quumque diceret : « *Salve, mater !* » Agrippinam comœdus egit fluctus natatu eluctantem. At in novissima cantici clausula : « *Orcus vobis pedes ducit,* » senatum speratamque ex eo ultionem gestu indicavit[4].

Galba, qui successor Neroni datus est, valde probus imperator fuit. Vulgo tamen displicebat, ipsius sordes incusanti; nam de avaritia ejus sermones per plebem haberi solebant absurdi : « Galbam scilicet, apposita lautiore cœna, ingemuisse, » ac quinque denarios cuidam choraulæ dedisse, sua manu productos ex crumena, aliaque id genus inepta[5]. Unde factum est ut etiam quæ recte agebat in reprehensionem venirent[6]. Insuper scenicis hominibus

1. Suet., *Tiber.*, 45. Cf. 66; D. Cass., LVIII, 19.
2. Suet., *Calig.*, 27.
3. D. Cassius, LX, 29.
4. Suet., *Nero*, 39. Cf. 42.
5. Sueton., *Galba*, 12. Cf. supra, § 4°.
6. Sueton., *Ibid.*, 14; Plut., *Galba*, 18.

haud acceptus erat, eo quod in histriones qui a Nerone dona immodica acceperant inquisitionem, ut superius diximus, fieri jussisset[1]. Quare, proximo post Galbæ adventum spectaculo, histrionibus « notissimum canticum exorsis :

Venit io simus a villa,

cuncti simul spectatores, consentiente voce, reliquam partem retulerunt, ac sæpius versu repetito egerunt, » quasi rusticum hominem et parcissimum, pro imperatore, recepissent[2].

Sub Domitiano, Helvidius filius accusatus est, sive verum crimen erat, sive falso objiciebatur, quod in exodio ad recitationem vel ad spectaculum composito, principis divortium, sub alienis personis, figurasset[3]. Sed, ne diutius in his immorer[4], duo tantum, his quæ supra congessi exemplis, superaddam.

Maximinus, ob magnitudinem corporis et robur, se prope immortalem putabat; mimus igitur versus in hunc modum græce dixisse fertur : « Qui ab uno non potest occidi, a multis occiditur. Elephas grandis est, et occiditur; leo fortis est, et occiditur; tigris fortis est, et occiditur. Cave multos, si singulos non times. » Maximinus vero, linguæ græcæ minime gnarus, unum ex amicis interrogavit quid scurra ille mimicus dixisset : « Sunt, ait, versus contra homines truculentos scripti antiquitus! » et ille, ut erat barbarus, credidit[5].

Marcus Aurelius gravissimam injuriam a mimis accepit. Nam rumor erat eum, plus quam satis esset, uxoris malis moribus indulgere[6], imo *Tertullum* quemdam, Faustinæ

1. Plut , *Galba*, 16. Cf. Sueton., *Galba*, 15.
2. Suetonius, *Ibid.*, 13.
3. Suet., *Domit.*, 10.
4. Cf. Lamprid., *Comm.*, 3; Vopisc., *Aurel.*, 42; D. Cass., LXXV, 2; LXXVII, 12; etc.
5. Capitol., *Maxim.*, 9.
6. Utrum vera sint an falsa, quæ de Faustinæ moribus dicta sunt, explorandi non est locus.

amasium, honoribus auxisse, et per circulos de ea re multa jactabantur. Quum ergo ab uxore sua deceptus *Stupidus*[1] (nam illo actore, quanquam erat tantum secundarum partium, vulgus multum delectabatur) in scenam processisset, ac nomen ejus hominis quocum uxor mœchata esset quæsiisset, et jam ter a servo dictum esset: « Tullus vocatur, » illi tamen iterum idem interroganti servus tandem respondit : « *Jam dixi* TER, TULLUS *dicitur*[2]. »

1. Vide Orelli, 2645 (cf. 2608); Arnobius, *Adv. gentes*, VII, 33.
2. Capit., *Antoninus Phil.*, 29. Cf. *Ibid.*, 8; Serv., *Ad Æneid.*, VII, 499.

PARS SECUNDA

QUOMODO ROMANI IMPERATORES

CUM MALEVOLIS SCRIPTORIBUS SE GESSERINT

§ Ius

An imperatores cum scriptoribus maledicis clementer egerint, quibusque adversus eos legibus uti possent.

Scriptores oratoresque sæpissime cum imperatoribus gessisse inimicitias, ac principes modo dictis jocularibus ac facetiis, modo minacibus petivisse contumeliis, satis colligitur ex his quæ superius retuli. Superest ut dicam quomodo publica auctoritas se gesserit erga philosophos, causidicos, juventutis præceptores, scriptores historiæ, poetas, qui, per pericula, contumaci temeritate, potentes lacessebant.

In otiosorum vero circulis, atque in forensibus colloquiis, inter fabulandum, disceptari solebat, utrum melius esset cuilibet concedere quæ sentiret liberum arbitrium dicendi, an expediret loquendi scribendique licentiam pœnis castigare. Notabant optimos principes clementer rempublicam tractasse, ac litteratorum hominum jocos sine ira suscepisse. Attamen imperatores qui nequaquam in deterrimorum numerum reponi possunt, ut Septimius Severus, Aurelianus, Constantiusque ferendarum

injuriarum impatientes fuerunt, neque sibi maledicentium peccata inulta reliquerunt[1]. Severus, vir asperior et truci supercilio[2], ceteroqui tolerabilis, concione apud senatum habita, Marium Sullamque laudavit, quod opportune suos hostes oppresserant, at intempestivam et reipublicæ nocivam, in Julio Cæsare, imperandi lenitatem vituperavit[3]. Quisque ad deforme servitium pronissimus, assentatorum turba, quadruplatores lucri cupiditate ad accusandum incensi, pro more clamitabant : nimia facilitate vim dominatus resolvi, concidere auctoritatem, probris eam inermem objici ; lacessentium petulantiam nonnisi clementia nutriri ; principem vel timeri, vel contemni oportere ; homines potentiorem, quamdiu metuunt, venerari ; clementia vero factos audaciores, ad omnem insolentiam erumpere, ac de principe molliore vindictam sumere[4].

Cremutius Cordus, quum, in suis *Annalibus*, Cassium et Brutum immodicis laudibus extulisset, atque ideo majestatis crimine, Tiberio imperante, postulatus esset, non tam pro se, jam mori parato, quam pro scribendi libertate argumenta et exempla protulit, in hunc fere modum, apud senatum, orationem adorsus : « Verba mea, Patres conscripti, arguuntur, adeo factorum innocens sum. Sed neque hæc in principem aut principis parentem[5], quos lex majestatis amplectitur. Brutum et Cassium laudavisse dicor ; quorum res gestas quum plurimi composuerint, nemo sine honore memoravit... Antonii epistolæ, Bruti conciones, falsa quidem in Augustum probra, sed multa cum acerbitate habent ; carmina Bibaculi et Catulli, referta contumeliis Cæsarum, leguntur ; sed ipse divus Julius, ipse divus Augustus et tulere ista, et reliquere ; haud facile dixerim, moderatione magis an sapientia ; namque spreta

1. A. Victor, *Epitome*, 35 ; Amm. Marcell., XXI, 16 ; etc.
2. Julian., *Cæsares*, 10.
3. D. Cassius, LXXV, 8. Cf. Capit., *Maxim.*, 8 : « Erat ei persuasum nisi crudelitate imperium non teneri. »
4. Vide D. Cass., LIX, 16.
5. Tiberium scilicet, ac Liviam Augustam.

exolescunt; si irascare, agnita videntur. Non attingo Græcos, quorum non modo libertas, sed etiam libido impunita; aut, si quis advertit, dictis dicta ultus est. Sed maxime et sine obtrectatore fuit, prodere de iis quos mors odio aut gratiæ exemisset[1]. » Cremutii tamen *Annales* diligenter requisiti sunt, ignique deleti. Eos vero Marcia, Cordi filia[2], pluresque alii occultatos servaverunt, donec, Tiberio defuncto, in lucem rursus proferrentur ; quod Tacito hæc adjiciendi occasionem dedit : « Socordiam eorum irridere libet, qui præsenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis ævi memoriam. Nam contra, punitis ingeniis, gliscit auctoritas ; neque aliud externi reges, aut qui eadem sævitia usi sunt, nisi dedecus sibi, atque illis gloriam peperere[3]. »

Ii ergo, qui ut sibi libere loqui et scribere liceret petebant, non certis argumentis egebant, quæ afferrent : Cur enim, aiebant, novissime inducta sunt linguæ delicta, nostris majoribus ignota ? Nam veteres facta tantum arguebant; dicta vero abire impunita relinquebant[4], neque ea tanti faciebant, ut ulcisci vellent; quæ si contempseris, mox oblivione abolentur; si corripueris, invalescunt. Multi, dum levissimos de se sermones cohibere et vindicare tentaverunt, maligniores moverunt[5]. Etiamsi culpa manifesta sit, pœnaque non injusta, id tamen in causis majestatis esse solet, ut vi oppressi semper injuriam pati videantur[6]. Potius est igitur contumeliam non videre, vel, si non vidisse non potes, eam tanquam minimi pretii aspernari. Ea ultio maledicenti molestior, ultionem ex eo sumere non dignari[7]. Nihil magis regium est, quam con-

1. Tacitus, *Annal.*, IV, 34 et 35.
2. Ea est Marcia, ad quam Seneca *Consolationem* misit.
3. Tac., *loco cit.* Cf. *Agric.*, 2; Aur. Vict., *Cæsares*, 20 : « Mors hujuscemodi ipsis (scriptoribus) gloriæ, exsecrationi auctoribus est; quum omnes, præcipueque posteri, illa ingenia sic habent, nisi publico latrocinio ac per dementiam, opprimi non potuisse. »
4. Tac., *Ann.*, I, 72. Cf. Aur. Vict., *Cæs.*, 39.
5. Tac., *Ibid.*, IV, 34; Dio Cassius, LII, 31. Cf. Tac., *Histor.*, III, 54.
6. Marcus Aurelius, apud Vulc. Gallic., *Avidius Cass.*, 2,
7. Seneca, *De Ira*, II, 32.

vicia negligere[1]. Ut enim, in alveo, apium regi natura detraxit aculeum, et iram ejus innoxiam esse voluit, ita, in hominum gubernatione, hoc imperantis proprium esse debet, injuriam non posse ulcisci, et sine aculeo esse. Si vera sunt quæ allatrantur, quæ nostra imprudentia est, auctoribus punitis, ea veluti publicare! Sin falsa, his fidem quamdam et auctoritatem facimus, dum contumelias nimis curamus, quæ mox omnium sermone evulgabuntur, ubi populus noverit nos ex illis offensionem cepisse[2].

Quod si securitatis causam obtendis, multo tutius est diligi quam metui; atque, ut recte ille vetus comœdiæ versus :

> Necesse est multos timeat, quem multi timent[3].

Experimento accepimus non eos principes longius ac tranquillius regnum obtinuisse, qui nihil antiquius habuerunt, quam ut hostium iras suppliciis exstinguerent, ignari quantum periculi exoriatur, ubi supra modum odia creverunt. « Temperatus enim timor cohibet animos; assiduus vero et acer, in audaciam jacentes excitat, et omnia experiri suadet. Errat enim, qui existimat tutum ibi esse regem, ubi nihil a rege tutum est; securitas securitate paciscenda est[4]. » Vera est custodia, civium caritas et principis innocentia; ea est arx inaccessa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento et arce non egere. Augustum, Trajanum, Hadrianum, atque Antoninum Pium, et quotquot fuere optimi principes, clementia fecit securos. Nequidquam vero ille se stipatoribus cinget, quem

1. Julianus dicere solebat : « Incusent jura clementiam; sed imperatorem mitissimi animi legibus præstare ceteris decet. » (Sic apud Amm. Marcell., XVI, 5.)
2. Seneca, *De Clem.*, I, 19; D. Cass., LII, 31. Cf. M. Aurel., apud Vulc. Gallic., *Avid. Cass.*, 11.
3. Laberius, apud Senecam, *De Ira*, II, 11. Cf. Macrob., *Saturn.*, II, 7; A. Gell., VIII, 15; etc.
4. Seneca, *De Clem.*, I, 12 et 19. Cf. 8.

suorum amor non tuebitur; nam odium odio alitur[1].

Hæc præsertim Seneca copiose disseruit in suis *De Clementia* libris, quos consulto composuit, ut Neronis, nuper imperium exorsi, ac fausta promittentis, animum magis ac magis ad mansuetudinem alliceret. Accepimus enim Neronem suam clementiam crebris obstrinxisse orationibus, quas Seneca « testificando quam honesta præciperet, vel jactandi ingenii, voce principis vulgabat[2]; » quarum unam senatus in columna incidi curavit, ac quotannis, in consulum delectu, recitari, ut principem perpetuo moneret quam optime auspicatus esset imperium[3]. Non tamen enervatam eam atque inermem clementiam Seneca Neroni approbat, quæ ad omnem audaciam incitamentum esset, ut philosophi illi, intra scholam abditi, rerumque humanarum inexperti, qui bonos et malos promiscua lenitate tractandos esse arbitrantur. Non eum igitur Seneca hominem clementem vocat qui, auctoritate veluti ad omne probrum projecta, cunctis inepte ignoscit, neque ullam injuriam pœna dignam existimat. Illa potius dicenda est clementia « animi temperantia in potestate ulciscendi, vel lenitas superioris adversus inferiorem in pœnis constituendis. Modum tenere debemus; sed quia difficile est temperamentum, quiquid æquo plus futurum est, in partem humaniorem præponderet; si quando misso sanguine opus est, sustinendum est, ne ultra quam necesse sit incidas[4]. » Quam scite Neroni Seneca divum Augustum proponit, quem clementia gratum omnibus fecit, et defendit, quamvis nondum subactis cervicibus jugum imposuisset[5]! Quamque industrie homini juveni, ac laudis avidissimo, gratulatur hunc primum incipientis

1. Plinius, *Paneg. Traj.*, 49; Seneca, *De Clem.*, I, 10; M. Aurelius, apud Vulcan. Gallic., *Avid. Cass.*, 8.
2. Tacit., *Ann.*, XIII, 11.
3. D. Cassius, LXI, 3.
4. Seneca, *De Clem.*, II, 3; I, 2. Vide etiam, I, 5; 12; 16, et *passim*. Cf. Amm. Marcell., XIX, 12.
5. Seneca, *Ibid.*, I, 10.

imperii annum, eamque principis felicissimam vocem, quum, animadversurus in latrones, ac scripturus a quibus et qua causa pœna exigenda esset, Nero exclamasset : « Vellem nescire litteras[1] ! »

Is qui prætextam *Octaviam* composuit, Senecam et Neronem de utilitate clementiæ contraria disputantes in suam fabulam induxit. Nero enim jam adultus, omnis sceleris flagitiique factus peritissimus artifex, et *ætate in hac satis esse consilii*[2] sibi ratus, magistri mitiora suadentis dicta arroganter redarguit[3] :

Seneca. Magnum timoris remedium clementia est.
Nero. Exstinguere hostem maxima est virtus ducis.
Decet timere Cæsarem. Seneca. At plus diligi.
Pulchrum eminere est inter illustres viros,
Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo.
Hæc summa virtus; petitur hac cœlum via;
Sic ille patriæ primus Augustus parens
Complexus astra est.....
Nero. Servare cives principi et patriæ graves,
Claro tumentes genere, quæ dementia est,
Quum liceat una voce suspectos sibi
Mori jubere[4] !

Qui vero principes hortabantur ut scriptores infestos vel nimis liberos frenarent, eorumque licentiam durius castigarent, certasne leges habebant, quibus verborum audaciam coerceri posse convincerent? Iis qui imperant semper præ manu sunt leges quibus sibi opus esse arbitrantur! Vetulum illud et sanctum præsto erat *Duodecim Tabularum* jus, quo vetabatur quemquam dictis probrosis describi[5] : « Si quis pipulo occentassit, carmenve condidit quod infame faxit, flagitiumque alteri, fuste perito[6]. »

1. Seneca, *De Clem.*, II, 1. Cf. I, 1; Sueton., *Nero*, 10.
2. *Octavia*, 447.
3. Cf. Tacit., *Annal.*, XIV, 53 sqq.
4. *Octavia*, 442; 457; 472 sqq.; 495 sqq.
5. Horat., *Epist.*, II, I, 152-154.
6. Cic., apud S. August., *De Civit. Dei*, II, 9.

Quanquam vero ea lex atrocissima tempore consenuerat, illamque per jocum tantum Trebatius Horatio maledico minabatur[1], tamen supererat. Ea enim lege, ut videtur, Lucilius Attiusque illos injuriarum egerunt, qui se in scena nominatim compellassent[2]. Tullius arbitratur hanc prohibitionem de scribentium quoque contumeliis intelligi : «Judiciis enim, inquit, propositam vitam, non poetarum ingeniis, habere debemus, nec probrum audire, nisi ea lege ut respondere liceat, et judicio defendere[3]. » Jurisperiti non commiserunt ut illud delictum prætermitterent, multaque de scriptis probrosis Ulpianus proposuit, quæ postea Justinianus in *Digesta* recepit[4].

Principes ipsos, haud aliter ac cives infimos, eæ leges tuebantur, quæ de injuria et conviciis latæ fuerant. Attamen, ut verum dicam, quoties in scriptores sævitum est, idque sæpissime accidisse non difficulter ostendam, nunquam eo crimine in eos actum est, quod edicta de injuriis et famosis scriptis infregissent. Vel nulla sæviendi causa datur, vel, si qua datur, semper *majestatis crimen* affertur in medium.

Majestatis ea *lex* appellabatur, qua sancitum erat, ne quidquam adversus populi romani securitatem aut dignitatem fieret. Nihil vero habebat quod plane certum ac definitum esset, eoque commodius ipsam, si quis tyrannus rerum potiretur, ad iram suam accommodabat. Non ab imperatoribus instituta erat; sed ii acceptam a Republica, titulo et nomine non immutato[5], ad sui vindictam flexerunt. Namque, apud veteres, qui sciens in tabulis publicis falsum conscripsisset, cœtus nocturnos cum armis in urbe

1. Monitus caveas, ne forte negoti
Incutiat tibi sanctarum inscitia legum :
« Si mala condiderit in quem quis carmina,
Jus est, judiciumque. » (Hor., *Satir.*, II, I, 81.

2. *Ad Herennium*, I, 14; II, 13.
3. Apud S. Aug., *loco cit.*
4. *Digesta*, L. XLVII, T. X, 5, § 9 (cf. § 10); 15, § 29.
5. Tacit., *Annal.*, I, 72.

agitavisset, plebem seditionibus movisset, vel foris milites sollicitavisset, civitatem prodidisset hostibus, aut denique « male gesta republica, majestatem populi romani minuisset », is lege majestatis reus erat[1].

Ubi vero principatus crevit, mos invalescere cœpit ut *majestas* de populo ad imperatorem traduceretur[2]; via sic immani crudelitati aperta est, quum satis esset principem vel levissimi dicti acumine offendi, ut majestatis crimini locus esset et materia. Nihil enim inhumanius ea lege, quæ omni Neronum et Domitianorum libidini obsequeretur; idque præsertim inter bonos malosque principes intererat, quod illi quidem lege majestatis vel minime vel parce utebantur, hi vero delatoribus stimulos addebant. Quando princeps novus opinionem conciliare cupiebat, ac boni publici diligens videri observator, regnandi exordium plerumque faciebat, crimina majestatis abolendo[3].

Quomodo effectum est ut lex majestatis, ultimis Reipublicæ temporibus pene obsoleta, deinceps, nono circiter tiberianæ auctoritatis anno, vires resumpserit, ac vitam cujusque honestissimi potestati delatorum et ludibrio tradiderit? Quum, senatu populoque volentibus vel patientibus, Octavius ac Tiberius singulos reipublicæ magistratus cum ipsis nominibus in se recepissent, rerum summam ad se retulerunt[4]. Præterea, Augustus, *tribunitiæ potestatis* vocabulum finxerat, « ne regis aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præemineret[5]; » eoque pacto, plebis magnitudini successit, ac populi universa sic jura et dignitatem in se collegit, ut quidquid, vel facto, vel dicto, principis majestati adversaretur,

1. Tac., *loco cit.;* Paulus, *Sentent.*, v, 29; *Digest.*, L. XLVIII, T. IV, 1, § 1 : « Majestatis crimen illud est, quod adversus populum romanum, vel adversus securitatem ejus committitur. »

2. Tac., *loco cit.* et *Annal.*, IV, 34; Sueton., *Tiberius*, 29; etc.

3. Vide infra, *passim*. Cf. insuper D. Cass., LXXV, 5; LXXVIII, 12; Herod., *Hist.*, V, 2; VII, 15; Capit., *Pertinax*, 6 et 7; etc.

4. Vide præsertim de ea re D. Cassium, LIII, 17.

5. Tacit., *Ann.*, III, 56. Cf. *ibid.*, I, 2, 7, 9 et 10; *Hist.*, I, 47.

plebis romanæ majestatem minuere videretur, ac pœnis expiari deberet. Sed insuper imperatores *augusti* erant, quasi humana natura ampliores facti, divini numinis participes ac sacrosancti, ut, si quis eos vel sermone tantum læderet, peccatis id genus nomen *impietatis* adderetur[1], atque Ulpianus doceret « proximum sacrilegio crimen esse, quod majestatis dicitur[2] ».

Delatorum aviditati, senatus obsequio, jurisperitorum industriæ ludus fuit ex lege majestatis deprompsisse quidquid ira Cæsaris juberet. Quibusdam objectum est quod, ante simulacrum principis, servum flagris cecidissent, aut vestes mutassent, quodque per nomen ejus et genium nunquam juravissent. Capitale fuit de domo imperatoria Chaldæos astrologos interrogasse, venditis hortis statuam Augusti simul mancipasse, effigiem principis ex argento conflatam in communem usum vertisse. Calumniæ eo processerunt, ut Metius accusaretur quod servis suis nomina Magonis et Annibalis dedisset; Cassius Longinus, quod, in gentili stemmate, C. Cassii, unius e Cæsaris percussoribus, imaginem retinuisset; Salvius vero Cocceianus, quod Othonis imperatoris, patrui sui, diem natalem celebrasset. Nero Tuscum, nutricis suæ filium, Ægyptique procuratorem, in exsilium extrusit, quia tantum sibi arrogaverat ut balneis, Alexandriæ in imperatoris adventum exstructis, lavatus esset; Sulpicium Camerinum interfecit qui, quum ille a majoribus suis *Pythici* cognomen accepisset, non illud tamen abjecisset, ex eo die quo princeps pythicas victorias in ludis retulerat[3].

Quid alia omiserim, verbaque obscura et inflexa quæsierim, ut dicam quosdam majestatis reos fuisse, qui Cæsaris effigiem, nummo vel annulo impressam, in latrinas

1. D. Cassius, LIII, 16; LVII, 9; LXXVIII, 12.
2. Ulp., apud *Digesta*, L. XLVIII, T. IV, 1.
3. Suet., *Tiberius*, 58; *Calig.*, 27; *Nero*, 35 et 37; *Domit.*, 10; Dio Cassius, LXIII, 18; LXVII, 12; Tacit., *Annal.*, III, 22 et 70; XII, 22. Cf. Amm. Marcell., XIX, 12; XXI, 16; etc.

intulissent, vel in eo loco minxissent, ubi statua principis erat[1]? Jureconsulti de quantulacumque in imperatores offensione sedulo disputabant: an, exempli gratia, crimen majestatis contrahat, qui statuas Cæsaris reprobatas aut vetustate corruptas reficit, vel nondum consecratas pretio vendit[2].

Si ea lex deterrima scriptis dictisve adhibeatur, statim in ingenia studiaque atrox quædam exoritur inquisitio. Satis erit, in fabula, quidlibet ambiguum dixisse, in historia viros principi odiosos laudasse, vel, inter pocula, versus recitasse paulo asperiores, ut reus fias quod in imperatorem populumque romanum detestabile facinus admiseris. Occasionem enim ex probrosis carminibus Tiberius sumpsit, quando legem majestatis, hucusque pene oblitteratam, reduxit[3], Neroque, simili causa, majestatis quæstiones renovari jussit[4].

Neque vero, si tamen Dioni Cassio credideris, principibus lege majestatis opus erat, aut legibus de injuria et famosis libellis, ut scriptores incommodos, pro suo nutu et arbitratu, atque etiam *indicta causa*, occiderent, vel in exsilium removerent. Cassius enim asserit Cæsares totius reipublicæ gubernandæ plenum accepisse imperium, legibus solutos esse, ac liberos omni necessitate, nec ulla scripta lege teneri; eosque tribunitia potestate ita inviolabiles esse, ut, si quis ipsos facto vel dicto læserit, eum, quasi se piaculo obstrinxerit, necare queant[5].

1. Suet., *Tib.*, 58; Spart., *Caracalla*, 5; Seneca, *De Beneficiis*, III, 26.
2. At Septimius Severus liberaliter rescripsit, eum majestatis crimine non teneri, qui « lapide jactato incerto, fortuito statuam attigerit! » (*Digesta*, L. XLVIII, T. IV, *Ad legem Juliam majestatis*, 4 sqq.)
3. Tacit., *Ann.*, I, 72.
4. *Ibid.*, XIV, 48.
5. D. Cass., LIII, 17 et 18. Cf. Senecam, *De Clem.*, I, 1.

§ II

De Augusto.

Julio Cæsare, qui primus post Sullam summa rerum potitus est, nemo clementior fuit. Lenitas enim Cæsaris, apud veteres, omnium laudibus commendata est. Ut erat ingenitæ bonitatis, atque injuriarum immemor, post partam in bello civili victoriam, Romam regressus, offensarum vindictam remisit, neque se cuiquam eorum qui arma pro senatus partibus gessissent implacabilem præbuit[1]; ac merito dixit se nullum hominem, nisi armatum, occidisse, odiaque cum armis posuisse[2]. Non satis habuit inimicos impunitate donasse, sed multis honores et magistratus detulit. Tradit quidem Titus Ampius[3], obscurus historiarum scriptor, Julium Cæsarem, paulo ante mortem, nimia quorumdam arrogantia et conviciis exasperatum, palam proclamasse « debere homines consideratius jam loqui secum, ac pro legibus habere quæ dicat »; Suetoniusque scripsit dictatorem acerbe de se loquentibus denuntiasse, ne perseverarent[4]. Nullum omnino seræ istius severitatis invenio exemplum. Quum enim Calvus et Catullus, Aulus Cæcina, Curio et Pitholæus multique alii in eum epigrammata famosa, maledicentissimos libros, dialogos asperis facetiis plenos conjicerent, cantilenæ contumeliis refertæ canerentur, libelli medio in foro proponerentur, quibus liber-

1. Nicolaus Damasc., *De Cæsaris Instit.*, 19; Plut., *Vita Cæs.*, 46; Suet., *Cæsar*, 75 : « Moderationem clementiamque, tum in administratione, tum in belli civilis victoria, admirabilem exhibuit, etc. »; Vell. Paterc., II, 56; Cic., *Pro Marcello, passim;* Dio Cassius, XLIV, *passim;* etc.
2. Seneca, *De Benef.*, V, 16; Aur. Victor, *De Viris illustr.*, 78.
3. Apud Sueton., *Cæsar*, 77.
4. *Ibid.*, 75.

tatis assertor ac restitutor poscebatur, Cæsarisque statuis subscriberetur :

> Brutus, quia reges ejecit, consul primus factus est,
> Hic, quia consules ejecit, rex postremo factus est,

ea omnia civili animo tulit, neque in auctores requisivit[1]. Ciceronis edito libro, quo Catonem magnis laudibus extollebat, « nihil aliud dictator Cæsar ac rescripta oratione, velut apud judices, respondit » ; Calvumque et Catullum in gratiæ reconciliationem admisit[2]. Præ magna sua lenitate, Cæsar diis pene similis habitus est[3], ac templum, ad agendas humanitati ejus gratias, Clementiæ decretum est[4].

Postquam composita sunt bella civilia, resque in unius potestatem cessere, id omnium fere opinione acceptum est, ut sævitiæ triumviralis invidiam ad Lepidum atque Antonium averterent, Octavium vero causa « pietatis erga parentem, ac necessitudinis reipublicæ, in qua nullus tunc legibus locus erat[5] », absolverent ; Velleiusque Paterculus, eo loco ubi multa in Antonium eructat, nihil fere de Octavio meminit[6], quanquam ille, sine dubio, proscriptionis socius fuit et particeps. Imo vero, narrat Suetonius Octavium Lepido et Antonio acerbius stragem inceptam exercuisse ; « namque illis in multorum sæpe personam per gratiam et preces exorabilibus, solus magnopere contendit ne cui parceretur[7] » ; additque Junius Saturninus, « quum, peracta proscriptione, Marcus Lepidus in senatu excusasset præterita, et spem clementiæ in posterum fecisset, quoniam satis pœnarum exactum esset, Octavium, e di-

1. Apud Sueton., *Cæsar*, 73, 75 et 80. Cf. 49 et 51.
2. Tacit., *Ann.*, IV, 34; Suet., *Cæs.*, 73. Cf. *Ibid.*, 56 ; Plut., *Cæs.*, 54 ; Plin., *Epist.*, III, 12 ; etc.
3. Laberius, *Prol.*, apud Macrob., *Saturn.*, II, 7.
4. Plut., *Cæsar*, 57.
5. Tac., *Ann.*, I, 9. Cf. D. Cass., LVI, 44.
6. *Hist.*, II, 66.
7. Suet., *Octav.*, 27. Cf. Tacit., *Annal.*, I, 10.

verso professum, ita modum se proscribendi statuisse, ut omnia sibi reliquerit libera[1]. »

Post pugnam Philippensem, Antonioque demum apud Actium devicto, ita longe alios Octavius mores cepit, ut ad ultima usque imperii romani tempora, Augustum se imitari velle ii principes profiterentur, qui se moderatos haberi cuperent. Si quis enim *ex Augusti præcepto* se imperaturum promitteret, eo ipso liberalitatem, clementiam, comitatem affectabat, nullumque jusjurandum sanctius ac magis verendum quam per Augusti nomen erat[2].

Populus vero romanus hanc Augusti indulgentiam optimis Liviæ monitis adscribebat. Crebris insidiis appetito, ac dubio quidnam in conjuratos ageret, quum videret nihilo se tutiorem suppliciis fieri, nec vellet inimicos indemnes dimittere, ne eorum audaciam accenderet, Livia Augusto consilium dedit ut, quia sævitia hactenus male ipsi successerat, clementia uteretur, aversosque animos lenitate ac venia flecteret : « Ego enim existimo, inquit, plus in clementia quam in severitate virtutis esse ad homines conciliandos; nam mansuetum cuncti revereri solent et colere, sed aspero et ira implacabili struunt insidias, ut perniciem vitent. » His Liviæ verbis probatis, Augustus omnes tunc majestatis reos, sermone prius correptos, fecit impunes, eoque pacto ita civium comparavit benevolentiam, ut et sibi securitatem faceret, et cervicibus jugi impatientibus obedientiam imponeret[3]. Pene omnium opinio fuit, eum ita unius potestatem clementia et facilitate temperasse, ut Romani libertatem suam, popularemque reipublicæ statum, sine tyrannorum injuriis, aut plebeculæ ferocia, servavisse viderentur[4].

Non cunctorum tamen invidiam Augustus potuit mitigare; nec abfuerunt qui libertatem pervicacem, ac moles-

1. Apud Sueton., *loco cit.*
2. Suet., *Nero*, 10; *Claudius*, 11.
3. D. Cassius, LV, 14 sqq.; Seneca, *De Clem.*, I, 9 et 10.
4. D. Cass., LVI, 43.

tam loquendi aut scribendi licentiam ostentarent; ut Antistius ille Labeo, jurisconsultus, qui romanæ antiquitatis leges semper in ore habebat, stetitque intra præturam, ne ab Augusto consulatum acciperet[1]. Nobilium virorum qui, bello civili, pro servanda libertate ceciderant, res gestas multi composuerunt, quasi nomina ista invisa objicerent Augusto. Is Cæcilium Epirotam, rhetorem, ita inimicum habuit ut, inter gravissima crimina, Gallo, Ægypti præfecto ac poetæ insigni, exprobratum sit, se in suorum familiarium societatem Cæcilium illum admisisse[2]. Anser, Antonii partibus olim addictus, ejus laudes scribebat, ideo forsan a Virgilio perstrictus[3]. Plurimorum insuper jocis, epigrammatibus, probrosis testamentis et epistolis Augustus læsus est[4].

Augustus vero ista maledicta neglexit et contempsit[5]. Mæcenas, ut vulgo ferebatur, verumne an fictum incertum est, eum admonuerat ut neminem eorum unquam majestatis accusaret, qui dictis vel factis ipsum lacessissent : « Te, inquiebat, hujusmodi contumeliis altiorem esse decet, neque id animo tuo præsumere, neque alios in eam opinionem inducere, esse qui tibi, sua lingua, damnum facere possit. Nullum enim hominem lædis, sed omnibus benefacis ; haud igitur honestum fuerit te existimare quosdam esse qui te probris consectari voluerint. Id enim tantummodo credunt pessimi principes, quos ad credendum movet mala sua conscientia. Melius est igitur ea convicia dissimulare[6]. » Philosophus Athenodorus, quem Augustus summo amore colebat, non parum valuit ut eum ab

1. Tacit., *Annal.*, III, 75; *Dig.*, L. I, T. II, 2, § 47; Porphyr., *Ad Horatii Sat.*, I, III, 82 : « Memor libertatis in qua natus erat, multa contumaciter adversus Cæsarem (Augustum) dixisse et fecisse dicitur »; Ateius Capito, apud A. Gellium, XIII, 12 : « Agitabat hominem libertas quædam nimia et vecors. »

2. Sueton., *Gramm.*, 16.

3. *Vita Virg.*, 67. Cf. Servium, *Ad Eclog.*, VII, 26; IX, 36.

4. Vide infra quæ de Timagene, Cassio Severo ac Labieno dicturi sumus.

5. « Probris in se dictis Augustus arrisit. » (Seneca, *De Clementia*, II, 11.)

6. D. Cassius, LII, 31. Cf. LV, 7 : « Ubi Mæcenas Augustum ira effervescentem videbat, eum ad mansuetudinem reducebat. »

intemperantia dominandi prohiberet; nam simplici et libero sermone apud principem uti solitus, ei dictitabat : « Quum forte in eo eris, Cæsar, ut alicui te offendenti succenseas, nihil prius dixeris aut egeris, quam tecum quatuor et viginti orationis litteras ordine volveris[1]. » Tiberius, tunc juvenis ac mente fervidior, per epistolam questus erat famosos libellos omnimodasque contumelias Cæsari labem inferre ; ingementi Augustus ita rescripsit : « Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, et nimium indignari quemquam esse qui de me male loquatur; satis est enim, si hoc habemus, ne quis nobis male facere possit[2]. »

Nullum fere reperio indicium quo probari possit Augustum, multos per annos, cognitionem haberi jussisse de scriptis probrosis, quæ in domum suam conjiciebantur, ne iis quidem requisitis libellorum auctoribus, de se in curia ipsa sparsorum, adeo ut tantam principis patientiam omnes mirarentur[3]. Ex tot scriptoribus ac poetis, quorum jocis petebatur, Suetonius tantum de Junio Novato meminit, pecunia mulctato, quod, Agrippæ juvenis nomine, acerbissimam de principe epistolam in vulgus edidisset[4]. Sero tamen, commotus quorumdam audacia qui viros ex primoribus prosciderant, censuit « cognoscendum posthac de iis qui libellos aut carmina ad infamiam cujuspiam, alieno nomine, edant; neque tamen de inhibenda testamentorum licentia quidquam a senatu constitui tulit[5]. »

Ex græculis illis disertis, qui ab Augusto liberaliter hospitio excipiebantur, ac domum palatinam studiis omnibus et litteris ornabant, Timagenem fuisse ferunt alexandrinum, rhetorem his temporibus præstantissimum, histo-

1. Plut., *Apopht. Aug.*, 7. Cf. D. Cass., LVI, 43; Julian., *Cæsares*, 22; Zonar., *Annal.*, X, 38.
2. Suet., *Octav.*, 51.
3. Macrob., *Sat.*, II, 4 : « Soleo in Augusto magis mirari quos pertulit jocos, quam quos protulit. » Cf. Tacit., *Annal.*, IV, 34; Senec. Rhet., *Controv.*, X, *Præf.*
4. *Vita Oct.*, 51.
5. *Ibid.*, 55. Cf. Tac., *Ann.*, I, 72; D. Cass., LVI, 27.

riæque scriptorem haud spernendum, qui res Augusti gestas et acta conscripserat; hunc Quintilianus laudavit, quod « historiam intermissam nova laude » reparaverat[1]; quanquam Flavius Josephus videtur incusasse eum fuisse, ut veterem illum Valerium Antiatem, in augendis numeris immodicum[2].

Timagenes, in bello captus ac Romam ductus, emptusque a Fausto, Sullæ filio, apud dominum tenuissima ministeria gessit; nam ex captivo coquus, ex coquo lecticarius factus est. Quonam modo, his profectus initiis, ad contubernium usque Cæsaris et amicitiam pervenerit, non satis constat. Erat homo dicax, cujus multa facete, sed improbe dicta vulgabantur, et qui « nimis liber erat, quia diu non fuerat ». Dum enim in conviviis et inter pocula declamabat, quemque obvium, in dicendo, probris vel jocis impetebat[3]. Imo in Augustum ipsum et Liviam multa temere ingerebat. Neque occasiones deerant; etenim, in domo Cæsaris, sordes et flagitia Timageni copiam criminandi abunde suppeditabant. Ille igitur, hospitii immemor, dicenda et tacenda inconsulto jactabat. Sæpe eum Augustus monuit, ut lingua parcius uteretur; quumque Timagenes nihilo moderatius ageret, perseveranti domus palatinæ aditum prohibuit; nec ab eo ultionem aliam exegit. Ille receptus est Pollione, ac postea consenuit in contubernio ejus; historias vero de Augusto scriptas insolenter combussit[4]. Tulit hanc etiam Cæsar contumeliam, « ne eo quidem motus, quod laudibus suis rebusque gestis manus attulerat. Numquam cum hospite inimici sui questus est; hoc duntaxat Pollioni dixit : Θηριοτροφεῖς. Paranti deinde excusationem obstitit, et : « Fruere, inquit, mi Pollio, fruere! »

1. Quintil., X, I, 75. Cf. Amm. Marcell., XV, 9.
2. *Antiq. Judaic.*, XIII, 12.
3. Suidas, *s. v.*; Horat., *Epist.*, I, XIX, 15, et *Scholia ibid.*; Plutarchus (*Quæst. Conviv.*, II, I, 13, et *De Adul. et amico*, 27) Timageni exprobrat sales amarulentos et scurriles, jocosque malignitate et contumelia permixtos.
4. Seneca Rhetor, *Contr.*, V, 34 : « Quasi et ipse Augusto suo ingenio interdiceret. »

Et quum Pollio diceret : « Si jubes, Cæsar, statim illi » domo mea interdicam. — Hoc me, inquit, putas factu» rum, quum ego vos in gratiam reduxerim? » Fuerat enim aliquando Timageni Pollio iratus, nec ullam aliam habuerat causam desinendi, quam quod Cæsar cœperat[1]. »

Etsi Augustus, per magnam vitæ partem, miram imperandi moderationem multis indiciis ostendit, is tamen, ætate jam pene fractus, hominum experientia et tædio contusus, quorumdum odio inexpiabili asperatus, Mæcena insuper et Agrippa morte ademptis, ex illa felicissima animi mansuetudine paulum excidit, atque in oratores ac scriptores non clementer egit, adeo ut Seneca rhetor non immerito dixerit « eo sæculo ingeniorum pœnas cœpisse, quo et ingenia desierunt[2] ». Ovidium enim Tomos relegavit, propterea quod nescio quid imprudentiæ commisisset, tresque artis amatoriæ libros[3], abhinc decem annis, composuisset. In Cassium quoque Severum et Titum Labienum durius animadvertit, vel passus est senatum animadvertere. Ne tamen inhumanitatem Augusti nimis increpes, operæ pretium erit Cassii et Labieni calamitates haud iniquas accuratius exsequi.

Cassium Severum inter eos qui ingenio et facundia, Augusti temporibus, maxime præcelluerunt non temere posuerim. Eloquentiæ vias novas aperuerat; ii etiam qui *vitam maleficam*[4], sales acerbos, et immodestiam verborum Cassio exprobrabant, non infitiabantur eum vere oratorem fuisse, atque in eo præcipue laudabant genus dicendi ardens et concitatum, orationem lacertis valentem, ingentibusque plenam sententiis; magis placebat in his quæ ex tempore inveniebat, quam in his quæ parata attulerat. At vir erat cujus eloquentia gladiatoria potius quam

1. Seneca, *De Ira*, III, 23.
2. *Controv.*, v, *Præf.*
3. Sidon. Apoll., *Carm.*, XXIII, 157 sqq.; A. Victor, *Epit.*, 1; Ovid., *Pont.*, IV, XIII, 42; *Trist.*, II, 207, etc.
4. Tacit., *Ann.*, IV, 21.

civilis esset; adversarios enim jugulabat, vulgoque ferebatur Cassium « non pugnare, sed rixari[1] ». Si enim Cassius, causam dicturus, ad forum accedebat eo corporis atque oris habitu quo mirmilloni Armentario haud absimilis dicebatur[2], eaque pronuntiatione quæ histrionis posset videri, in asperiores prorumpebat jocos, cunctosque passim probris proscindebat. Quo magis intelligatur in quantam insolentiam efferri soleret, hoc tantum Cassii acerbitatis exemplum proferam. Cestius Pius rhetor, Cassio Severo audiente, in declamando dixerat : « Fateor equidem me, in rebus omnibus, loci principis esse cupidum; si gladiatorem agerem, optarem esse Furius; si pantomimum, Bathyllus. — Tune, ait Cassius, si cloaca esses, velles esse *Cloaca Maxima*[3] ? »

Cassius igitur Severus omnes dicendo laniabat; præterea domos illustres procacibus libellis diffamaverat[4], cunctisque odio erat et formidini, ac graves inimicitias sibi conciverat. Quid de Augusto ejusque regimine senserit vel dixerit, non apparet quidem; verumenimvero difficile credas istiusmodi virum dicteriis in principem abstinuisse, præsertim quod Cassius Nonium Asprenatem, Augusti amicum, veneficii reum facere auderet[5]. Quare Augustus, quando publicis injuriis privatas suas obtegendi occasio sese obtulit, in Cassium animadvertere non prætermisit. Quum enim Cassius Severus, spretis edictis quibus prohibebatur ne scripta famosa fierent[6], non verecundius egisset, ac libello maledico viros feminasque

1. Seneca, *Exc. Controv.*, III, *Præf.*; *Dial. Oratorum*, 19 et 26; Quint., X, 1, 116.
2. Plinius, *Hist. Nat.*, VII, 10 : « Cassio Severo, celebri oratori, Armentarii mirmillonis objecta est similitudo. » Cf. Senec., *loco cit.*
3. Sueton., *De Gramm.*, 22.
4. Suspicor ex hujusmodi libellis depromptum esse quod Suetonius, in *Vita Vitellii*, 2, retulit, auctore Cassio Severo; unum scilicet ex Vitellii majoribus fuisse sutorem, cujus filius, ex muliere vulgari, filia cujusdam Antiochi furnariam artem exercentis, equitem romanum genuerit.
5. Suet., *Octav.*, 56. Cf. Macrob., *Saturn.*, II, 4; Senec., *loco cit.*
6. Vide paulo supra.

primi ordinis laceravisset, de ipso res apud senatum acta, atque judicio solemni Cassius Cretam amotus. Sub Tiberio, vetera odia refovit, nova sibi suscitavit, bonisque exutus, in saxo Seriphio consenuit, atque in summa inopia exstinctus est[1].

Seneca rhetor, in suis *Controversiarum* libris, arte mira descripsit ingenium moresque Titi Labieni, excellentissimi oratoris, « qui per multa impedimenta eluctatus, ad famam ingenii pervenerat. Magna autem esse debet eloquentia, quæ invitis placeat, confitentibus magis hominibus quam volentibus. » Quum enim homini vitia et infamiam objecisses, oratori tamen plurimum laudis non impertiri non poteras, ac fateri cogebaris vix quemquam fuisse, qui Titum Labienum eloquentia superasset[2]. Erat homo nullius originis, summæ infamiæ, qui multorum in se odium suscitaverat, « etiam per vitia ingens, et ad similitudinem ingenii sui violentus; libertas tanta, ut libertatis modum excederet, ut, quia passim ordines hominesque laniabat, *Rabienus* vocaretur[3]. »

Quum aliquando historiam quam de bellis civilibus contexuerat recitaret, magna voluminis parte prætermissa : « Hæc quæ transeo, inquit, post mortem meam legentur. » Facile intelligi potest quanta hujus libri libertas fuerit, quem Labienus ipse recitare integrum non auderet, ac posteris tantum legendum traderet! Scripta ejus ad senatum delata sunt, ut reipublicæ et principi probrosa, edictoque combusta, novum tunc atque inauditum pœnæ genus « supplicia de studiis sumi, atque in monumenta disciplinarum animadverti[4] ». Cassius Severus, Labieno summa

1. Tac., *Annal.*, I, 72, et IV, 21; S. Jer., *Chron.*, ad annum 32 : « Cassius Severus in summa inopia moritur, vix panno verenda contextus. » Cf. Suet., *Octav.*, 55; *Calig.*, 16.

2. « Color orationis antiquæ, vigor novæ. Cultus inter nostrum ac prius sæculum, ut illum posset utraque pars sibi vindicare, etc. » (Seneca Rhetor, *Contr.*, V, *Præf.*)

3. Seneca Rhetor, *loco cit.*

4. *Ibidem.*

familiaritate conjunctus, belle dictum tunc nactus est: nam quum amici sui libros ad cremandum lictores inquirerent: « Me quoque, ait, vivum uri oportet, qui illos memoria teneo. » Labienus vero hanc ignominiam non tulit, ac, ne suis operibus superstes esse videretur, jussit se in sepulcro majorum includi.

Hæc de Cassio Severo et Labieno e Seneca majore Cornelioque Tacito præcipue desumpsi. Tacitus quidem, fastidio et arrogantia inductus, non integro fortasse et bono animo de Cassio judicavit, nihili homine, ac sordidæ originis, libellorum malignorum auctore, et qui tantum sibi sumpserat, ut nobiles contumeliis adoriretur; licet igitur jure suspicari odia procerum, odiis principis insuper ingestis, ignominiam Cassii et improbitatem in majus extulisse. Seneca rursus, oratores suæ memoriæ maledico dente libentius carpere solet. Concessum sit igitur Cassii et Labieni maleficia ira et odio inimicorum paulo inflatius adaucta esse. Attamen pro comperto teneo eos homines, protervæ linguæ et procacitati nimiæ deditos, minime dignos esse, quorum nos misereat; neque in eorum calamitate reperias, unde Augusti severitatem graviter incuses. Non tamen, ut quidam ex veteribus mentitus est, dici potest sub divo Augusto hominibus verba quandoque molesta fuisse, *nunquam periculosa*[1], quum in Cassium et Labienum propter verba sævitum sit.

1. Seneca, *De Benef.*, III, 27.

§ III

De Tiberio ceterisque imperatoribus Juliis.

Tiberius, quem Augustus sibi in imperii successionem ordinaverat, is fuit quem Tacitus ipse vix perspexerit; homo dissimulatissimi ingenii, qui aliud sentiebat animo, aliud ore loquebatur, neque ea quæ cuperet præ se ferens, neque ea quæ diceret cupiens ; periculosum erat intellexisse quæ vellet, non intellexisse periculosius[1]; durus præterea, vultu atrox, qui vel optima moleste peragebat[2]. Tiberius tamen, per magnam principatus partem, imperandi instituta, quæ Augustus ei tradiderat, diligenter custodivit, eam vocem circumferre solitus : « Oderint, dum probent[3] ! » Quum enim eum minime gratum Romani haberent, ac prope aversarentur, non culpare poterant quod improbe rempublicam administraret, ac dominatu male uteretur.

Paucos honores et modicos accepit, se *dominum* aut *patriæ patrem*, neque *imperatorem* nisi a militibus, appellari non passus. Si cum privato causam haberet, res apud judices in foro disceptabatur; magistratus, magna cum reverentia, colebat[4]; nihil suapte auctoritate agebat, sed omnia negotia cum senatu communicabat; proposita sua in medium sententia, cuivis senatorum dicendi potestas erat, nec querebatur, si adversus placitum suum decerneretur; quum a Quinto Haterio dissentiret : « Ignoscas, ait

1. D. Cass., LVII, 1.
2. Tacit., *Annal.*, IV, 7.
3. Sueton., *Tiber.*, 59.
4. Tanta erat consulum auctoritas, « ut legati ex Africa adierint eos, querentes trahi se a Cæsare ad quem missi forent; nec mirum, quum palam esset ipsum quoque eisdem assurgere et decedere via. » (Suet., *Tiberius*, 31.)

Tiberius, si quid adversum te liberius, sicut senator, dixerim. » Ne provinciæ novis vectigalibus premerentur providebat, quia oves suas « tonderi, non deglubi » oportebat[1].

Diu Tiberius non permisit quemquam eo crimine in judicium agi, quod liberiore sermone usus esset, vel aliquid acerbius in principem scripsisset; subinde jactabat « in civitate libera linguam mentemque liberas esse debere ». Se ob acta sua culpari non metuebat, ac dicebat : « Si quidam aliter locutus fuerit, dabo operam ut rationem factorum meorum dictorumque reddam; si perseveraverit, invicem eum odero. » Firmus adversus malevolos de se suisque rumores et maledicta, carminaque famosa quibus petebatur, vel contemnebat injurias, vel dissimulabat, nec ullam hujusmodi accusationem exerceri patiebatur, quamvis, ea in re, Augusti memoriam offendi non sineret. Senatu nonnullos qui petulanter in Tiberium dixerant reos ex lege majestatis posci flagitante, id se facturum negavit : « Non tantum otii, inquit, habemus, ut implicare nos pluribus negotiis debeamus; si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis; omnium enim inimicitiæ hoc prætextu ad vos deferentur. » Si quid contra se improbe scriptum ostenderetur, nihil illud curæ habebat, « quasi ab impatientibus remediorum, ac non tam ex animi sententia quam bile et stomacho fingerentur[2] ». Senatus tamen C. Cominium, equitem romanum, probrosi in principem carminis convictum, majestatis pœnis damnavit; Tiberius vero ipsi veniam condonavit[3].

Tiberiani principatus nonus erat annus; neque, ut supra memoravi, princeps civili comitate erat et vultu benignus, sed plerumque horridus et injucundus. Optima tamen im-

1. Suet., *Tib.*, 26-32; Tac., *Annal.*, IV, 6 et 7; V. Paterc., II, 126; Dio Cassius, LVII, 7 sqq.; etc.

2. Sueton., *Tib.*, 28 et 59; D. Cassius, LVII, 9. Cf. Suet., *Ibid.*, 31 et 32; D. Cass., LVII, 2; Tacit., *Ann.*, I, 73 et 74; II, 34 et 50; IV, 6; Senec., *De Clem.*, I, 1; etc.

3. Tac., *Ann.*, IV, 31.

perandi consilia retinebat, donec, Druso Cæsare exstincto, morem in deterius mutaret[1]. Drusus enim, ut multi credebant, patris acerbitatem mitigabat. Livia Augusta supererat, ultimum contra principis iram perfugium, quia Tiberius matrem observabat; Sejanusque ipse non audebat Liviæ auctoritati contradicere[2]; ubi ea defuncta est, in sævitiam Tiberius abire cœpit; denique, Sejani malis artibus detectis, omnes jam timuit et suspectos habuit[3]. Attamen fatendum est, vel in primis tiberianæ potestatis annis, lege majestatis quosdam occisos aut relegatos esse. Nam Pompeio Macro prætore eum consulente « an judicia majestatis cogi juberet », respondit exercendas esse leges, præcipue asperatus, quia epigrammata, incertis auctoribus, in ipsum vulgata erant[4]. Lutorii cladem ibi edisseram, quæ ad rem nostram pertineat, ut intelligatur quam inepte immanis lex majestatis esset.

Lutorius Priscus, eques romanus, post Germanici obitum, versus ediderat quibus hujus viri suprema celebraverat. Id carmen plausu maximo, quemadmodum ratio temporis postulabat, exceptum est, ac Tiberius, qui luctum ingentem palam affectabat, quanquam *Germanici mortem inter prospera ducebat*, Priscum pecunia donavit. Paulo post, quum Drusus Cæsar, Tiberii filius, gravi morbo conflictaretur, Priscus decessum alterum, et alteram conciliandi favoris occasionem, præmiaque majora odoratus, ne Drusi mors se imparatum reperiret, hominis ægrotantis, neque tamen morituri, funebrem laudationem scripsit immature; Drusus enim ex morbo convaluit.

Priscus vero, nedum carmen jam sibi periculosum deleret vel celaret, eo imprudentiæ venit, ut in domo P. Petronii, coram feminis illustribus, incautus recitaret. Id criminis Prisco a delatoribus objectum, quod « nefaria

1. Tac., *Annal.*, IV, 1 et 7.
2. Tac., *Ibid.*, V, 3.
3. Cf. Suet., *Tiber.*, 61.
4. Suet., *Ibid.*, 58; Tacit., *Annal.*, I, 72.

voce mentem suam et aures audientium, » atque impio augurio polluerit. Haterius Agrippa, consul designatus, censuit nefariam Lutorii Prisci temeritatem ultimo expiandum esse supplicio, ceterique capitis sententiam dixerunt. Quod vix credas in maxima etiam horum temporum adulatione! unus tantum et alter inventus est, qui judicaret in Lutorii *vecordiam* satis animadverti, si, bonis publicatis, pelleretur in exsilium. Ductus est igitur in carcerem Priscus, ac more majorum interfectus, antequam Tiberius ea quæ facta erant moneretur. Id « solitis ambagibus apud senatum incusavit, quum extolleret pietatem quamvis modicas principis injurias acriter ulciscentium, deprecaretur tam præcipites verborum pœnas, laudaret Lepidum », qui sententiam minus asperam dixerat, « neque Agrippam argueret. » Hæc sunt Taciti verba[1]. Si vero Dioni Cassio potius credideris, Tiberius gravissime tulit senatores hominem haud ignobilem, capitis arcessitum, tam propere necavisse; ideoque Tiberius edixit ne quis postea damnatus a senatu, ante diem decimum, supplicio afficeretur, neve sententia prius publicaretur, quam absens etiam imperator de ea cognoscere, et judicium ferre posset[2].

Quod si, injussu principis ac contra ipsius voluntatem, lex majestatis ad tantam crudelitatem deflecti jam posset, quo animo accepta est, ubi ex Tiberii libidine atque sævitia novas vires assumpsit! Tum senatores ex primoribus colloquiorum ventos colligere, in circulis sermones observare, intra laquearia se abstrudere, murorumque rimis aures admovere, ut imprudentium verba captarent, infimas exercere delationes, pars cupiditate allecti ac mercede quadruplatorum, pars ad se principi ventitandos, plerique quadam accusandi contagione infecti, vel ad sui suorumque tutelam, ne quis, eos majestatis arguendo, præveniret[3]. Rei damnatique alios invicem traducebant; feminæ delatæ

1. Tac., *Ann.*, III, 49-51.
2. D. Cass., LVII, 20.
3. Tac., *Ann.*, IV, 69; VI, 7.

sunt, quæ filiorum suorum necem flevissent; periculo erat proavum inter Pompeianos numerare, nativitatis diem atque horam suspectam habere, apudque astrologos futurum indagare. Tiberius explorabat quæ in foro, in conviviis, in recitationibus, contra se dicta essent aut scripta. Erat « accusandi frequens et pene publica rabies, quæ omni bello civili gravius togatam civitatem confecit. Excipiebatur ebriorum sermo, simplicitas jocantium; nihil erat tutum; omnis sæviendi placebat occasio. Pavens civitas; congressus, colloquia, notæ ignotæque aures vitari; etiam muta atque inanima, tectum et parietes, circumspectabantur[1]. » Veteres offensiones, jocique litteratorum hominum longo jam silentio sepulti, rursus exulcerati, pro capitali crimine ad senatum deferebantur.

Scriptores enim Tiberius præcipuo odio insectatus, Seleucum grammaticum a contubernio abegit, ac deinceps, ut sibi ipse manus afferret compulit, propter leviores injurias; ac Zenonem sophistam Cinariam relegavit, quia ille principem facete perstrinxerat[2]. Sabinus in vincula projectus est, atque mox occisus, cadaverque ejus ad Gemonias abjectum, quod epigrammata in principem factitavisset[3]. Paconianus strangulatus est in carcere, Ælius Saturninus de Rupe capitolina præcipitatus; nam uterque de Tiberio famosa carmina composuerat[4]. In crimen majestatis vocatus est Cremutius Cordus qui, editis de bello civili annalibus, Brutum et Cassium ultimos Romanorum dixisset, atque Augusto parcas admodum laudes dedisset, quamvis ipse Augustus, ante paucos annos, Cremutii annales reci-

1. Seneca, *De Benef.*, III, 26; Tacit., *Annal.*, IV, 69; Cf. *Ibid.*, III, 49; VII, 10; D. Cass., LVII, 19 et 22; LVIII, 1; Suet., *Tiber.*, 61; Aur. Victor, *Epitome*, 2; etc.

2. « Zenonem exquisitius sermocinantem quum (Tiberius) interrogasset quænam illa tam molesta dialectos esset, et ille respondisset Doridem, relegavit Cinariam, existimans exprobratum sibi veterem secessum, quod dorice Rhodii loquantur. » (Suet., *Tiber.*, 56.)

3. Vide Zonar., *Annal.*, XI, 2. Idem forsan ille est ac Sabinus Asellius a Suetonio memoratus, *Tiber.*, 42. Cf. Senec. Rhet., *Suas.*, 2.

4. Tacit., *Annal.*, VI, 39; Suet., *Tib.*, 61; D. Cass., LVII, 22.

tatos audiisset. Ille curia egressus, vitam inedia finivit; librique ejus ædilibus ac triumviris cremandi traditi sunt[1]. Mamerco crimini fuit *Atreum* tragœdiam scripsisse, in qua probris Agamemnona lacessebat; ea Tiberius contra se dicta ratus, dixit : « Ego sane illum Ajacem fieri cogam! » Mamercumque, re vera, manu sua mori adegit[2]. Litteræ Tiberii, missæ ex Capreis, ad senatum detulerunt Sextum Vestilium, virum prætorium, quondam Druso, principis fratri, gratissimum, quemque ipse Tiberius in familiarium cohortem receperat. Majestatis eum accusatores reum fecerunt, quod famosi libelli de Caii Cæsaris Caligulæ impudicitiis auctor esset, vel auctorem esse vulgo ferretur. Vestilius, criminis pavidus, sibi manu senili atque incerta ferrum conscivit, venisque obligatis, per epistolam Tiberii deprecatus est iram, donec, durioribus rescriptis ex ipso acceptis, venas iterum præcideret[3].

Attamen sævitiæ Tiberii remissiones erant, placebatque interdiu a cædibus quiescere; tum senatus obsequium, ardensque ad ulciscendas principis inimicitias studium nutu et voce Tiberius cohibebat. Ille vero, etiam dum scribendi liberius dicendique peccatum immanissime puniebat, affectabat tamen se Augusti vel reipublicæ injurias vindicare, suas despicere, neque velle de se tantummodo jactata verba in judicium vocari[4]. Lucius Sejanus, Ælii frater, in Tiberii ludibrium, qui calvitio affligeretur, per calvos histriones et scurras ludos ediderat, spectatoresque a quinque millibus puerorum ad cutem tonsorum cum facibus in domos suas reduci jusserat; hunc tamen Tiberius impunitum dimisit[5]. Fulcinius Trio contumeliosum, ut

1. Tac., *Annal.*, IV, 34 et 35; Suet., *Tiber.*, 61; D. Cass., LVII, 24; Quintil., X, I, 104; Seneca, *Cons. ad Marciam*, 1 et 22. Cf. Senec. Rhet., *Suas.*, 7; Plut., *Brutus*, 44.

2. Vide supra, *Parte Ia*, § 7o.

3. Tacit., *Annal.*, VI, 9. — Cf., de Julio Montano, Senec., *Epist.*, 122 : « Julius Montauus, poeta, amicitia Tiberii notus ac frigore. »

4. D. Cassius, LVII, 9. Cf. Tacit., *Ann.*, II, 50.

5. D. Cass., LVIII, 19.

tunc sæpius usurpatum, testamentum scripsit, quo « multa et atrocia in Macronem ac præcipuos libertorum composuit, ipsi fluxam senio mentem, et continuo abscessu velut exsilium objectando. » Hæc tamen Tiberius recitari permisit, suæ infamiæ contemptor, vel ut ostenderet quanta patientia libertatem alienam, suasque privatas injurias toleraret[1]. Imo vero, per speculatores inquirens quæ de se in malam partem dicebantur, vel in circulis occulte recitabantur, ea quandoque, nedum prudenter dissimularet, palam proferebat; ac si quis damnatorum, per libellos theatri parietibus affixos, principem omni probro laceraverat, id in publicas tabulas inserebat, quasi sibi ipse conviciari liberet[2].

Ut mos erat novis imperatoribus, Caius Cæsar, sub initio dominatus, miram benevolentiam et conciliandæ civium gratiæ studium singulare præ se tulit; relegatos restituit in patriam; actiones læsæ majestatis, quibus urbem maxime vexatam videbat, abolevit, promisitque se impietatis cognitiones nunquam habiturum, ac libellos nomina eorum continentes quos Tiberius ad senatum traduxerat, congestos exussit[3]. Quin etiam Labieni, Cremutii Cordi, Cassii Severi historias et orationes senatus consultis de medio sublatas, legi, atque in lucem iterum proferri permisit, « quando maxime sua interesset, ut facta posterorum memoriæ, incorrupta fide, traderentur[4] ». Quumque libellus ei offerretur, quo certus fiebat quosdam ipsi insidias parare, hunc recipere noluit, quia sibi conscius erat nihil deliquisse cur cuiquam odio esset[5].

Sic voto omnium et amore imperium adeptus, parum

1. « An scelerum Sejani diu nescius, mox quoquo modo dicta vulgari malebat, veritatisque, cui adulatio officit, per probra saltem gnarus fieri. » (*Tac.*, *Annal.*, VI, 38.)

2. D. Cass., LVII, 22; Suet., *Tib.*, 66. — Sæpe tamen istæ contumeliæ anxiam Tiberii conscientiam exagitabant, ac præ pudore eas diligentissine celabat.

3. Sueton., *Caligula*, 15; D. Cass., LIX, 6; Joseph., *Antiquit. jud.*, XVIII, 7.

4. Suet., *Ibid.*, 16.

5. *Ibid.*, 15.

diu rempublicam feliciter gessit, donec morbo correptus et mente pene captus[1], in omne deliramentum abiret. Quid enim sani ex eo speres qui se cum Luna rem habere, se Jovem esse vel Junonem credebat, habitu quoque, pro sexus conditione, mutato, ac cœlo succensebat, si suis pantomimis obstrepebat[2]. Sævitiæ mox omni deditus, nullum judicii modum neque ritum habuit; cives etiam claros damnavit ad bestias, misit ad metalla, cavea coercuit, stigmate notavit, medios serra partitus est[3], quæ suppliciorum genera, vel majoribus ignota erant, vel scelestis reservata[4].

Carinatem Secundum, rhetorem, non alia de causa in exsilium pepulit, quam quod contra *tyrannos*, ut apud scholasticos receptum, declamasset[5]. Atellanæ auctor in medio amphitheatro, propter ambiguos jocos, crematus est[6]. Occidit Caius et Julium Canum, ex stoicis philosophis, quo nullus, ut Seneca refert, *diutius philosophatus est;* quum enim ad supplicium duceretur, « quis esset post mortem animarum status » cum Antiocho Seleuciensi sermones conferebat[7]. Annæus ipse Seneca pene interiit, non ullo suo peccato, sed quod causam, apud senatores, coram Caio Cæsare, splendidius egisset[8]. Domitius Afer Nemausensis, inter ea tempora celeberrimus orator, periculo proximus, mirabiliter evasit. Quum Caius, qui se magnum esse oratorem persuasum habebat, longam adversus Domitium accusationem recitaret, ille, in tanto vitæ

1. Suet., *Caligula*, 14 et 51. Cf. 22 : « Hactenus de principe; reliqua ut de monstro narranda sunt. »
2. Suet., *Calig.*, 22; Josephus, *Antiq. jud.*, XIX, 1; Seneca, *De Ira*, I, 16; etc.
3. Suet., *Ibid.*, 27 sqq. et 49; D. Cass., LIX, 10, 18, 22 et 26; Seneca, *Ibid.*, III, 18-20; *De Benef.*, IV, 31.
4. Tali denique imperio traditi sunt Romani, ut Tiberii acta, quantumvis visa essent molestissima, tamen a Caligulæ facinoribus tanto intervallo discrepabant, quanto Augustus Tiberio melior habitus esset. (Vide D. Cass., LIX, 5.)
5. D. Cass., LIX, 20.
6. Sueton., *Calig.*, 27.
7. Seneca, *De Tranq. animi*, 14. Cf. Plut., apud Syncell., *Chron.*, ad ann. 37.
8. D. Cass., LIX, 19.

discrimine, præsenti animo usus est et consilio. Nihil enim Afer contradixit, neque se defendit, sed eloquentiam Caii se mirari, atque oratorem magis quam Cæsarem metuere simulans, humi se prostravit, Caligulamque, tanquam dicendi maximum magistrum, adoravit. Caius vero gavisus, ratusque Domitium a se orandi virtutibus superatum, statim ab ira resedit[1].

Claudio imperatori neque affectus, neque odia in quemquam fuere, nisi *indita et jussa*[2]. Timidus et ignavior, valetudine parum firma, uxoribus et libertis parebat, quorum nutu præfecturas, exercituum imperia, honores, supplicia quoque et venias largitus est[3]. Plura tamen moderate et clementer fecit, quoties sui juris fuit. Iis liberatis qui, causa majestatis, in carcere detinebantur, *Pugionem* et *Gladium* igni abolevit; hi vero erant indices, in Caii secretis reperti, de viris illustribus quos Caligula neci destinaverat[4].

Multos tamen ipse, præ nimia animi imbecillitate, occidit, vel occidi passus est[5]. Si quem enim ejus liberti perditum volebant, periculorum metu ei injecto, facultatem quos vellent interimendi accipiebant, donec Claudium, sibi redditum, facti pœniteret. Satis constat quid de Silano actum sit, quemadmodum Messalina et Narcissus, re composita et partibus inter divisis, affirmaverint sibi, per somnia, obversatum esse Silanum principi manus inferentem, ita ut Claudius tremebundus eum statim ad mortem adigeret[6].

1. D. Cass., *loco cit.* Cf. Zonar., *Annal.*, XI, 5. — Defunctis quoque invidebat. « Cogitavit de Homeri carminibus abolendis. Sed et Virgilii et Titi Livii scripta et imagines paulum abfuit quin ex omnibus bibliothecis amoverit. » (Suet., *Calig.*, 34.) — « De juris quoque consultis, quasi scientiæ eorum omnem usum aboliturus sæpe jactavit. » (*Ibid.*)

2. Tacit., *Annal.*, XII, 3. Cf. Suet., *Claudius*, 29.

3. Suet.. *Claud.*, 29 : « De nece consularis viri renuntiante centurione factum esse quod imperasset, negavit se quidquam imperasse, et nihilominus rem comprobavit, affirmantibus libertis officio milites functos, quod ad ultionem imperatoris ultro procurrissent. »

4. Suet., *Calig.*, 49; D. Cass., LIX, 26.

5. Seneca, *Apokol.*, 14; Suet., *Claud.*, 29; Tac., *Agric.*, 4; etc.

6. Suet., *Ibid.*, 37. Cf. 29.

Neminem vero ex scriptoribus vel litterarum professoribus referunt a Claudio vexatum fuisse, quanquam contumeliæ in eum proferrentur[1], nisi quod Gallicum oratorem, qui principem in dicendo multum offenderat, in Tiberim projici jussit[2].

Nero in clementia paulo diutius quam in ceteris virtutibus perstitit. Britannico fratre per venenum sublato, Agrippinaque atrociter interempta, moderationem tamen in reipublicæ administratione aliquandiu retinebat, ac privatorum cædibus abstinebat; imo, post perpetratum matricidium, clementiam majorem affectavit, virosque ac feminas nobiles, olim ab Agrippina in exsilium pulsos, patriæ reddidit[3]. Quum summum imperium, Britannici injuria, invasisset, statim professus est, ut civium benevolentiam assequeretur, se juxta Augusti præcepta imperaturum, nullaque odia, nec ultionis cupidinem allaturum[4].

Quod pollicitus erat Nero præstitit; neque ullam vel clementiæ vel comitatis exhibendæ occasionem prætermisit[5], Seneca et Burrho ad id eum impellentibus, ac lenitatis gloriam prædicantibus, senatuque maximis laudibus conciones excipiente, quibus princeps juvenis se clementem fore promittebat[6]. Supra memoratum est legem majestatis tum primum sub Nerone revixisse, quum probrosi versus in imperatorem ab Antistio prætore facti essent, atque inter epulas recitati. Antistium, ob hujusmodi crimen delatum ad senatores, quidam censuerunt, prætura pulsum, more majorum necandum esse. At Pœtus Thrasea, senatui probatissimus, necdum principi invisus, Nerone prius laudato,

1. D. Cass., LX, 29; Suet., *Claud.*, 15 et 38.
2. D. Cass., LX, 33.
3. Id vero faciebat, ut Tacitus refert, « quo gravaret invidiam matris, eaque demota, auctam lenitatem suam testificaretur ». (*Annal.*, XIV, 12.)
4. Suet., *Nero*, 10; Tacit., *Annal.*, XIII, 4.
5. Suet., *loco cit.*
6. Suet., *loco cit.;* Tacit., *Annal.*, XIII, 2, 10 et 11; D. Cass., LXI, 3. Cf. Senec., *De Clem.*, I, 1 : « Scribere de clementia, Nero Cæsar, institui, ut quodam modo speculi vice fungerer, et te tibi ostenderem perventurum ad voluptatem maximam omnium ; etc. ».

ac prætore correpto, facile obtinuit ut ultimum supplicium arceretur, ac mitior sententia prævaleret. Multi etiam crediderunt « haud perinde exitium Antistio, quam imperatori gloriam quæri; ut condemnatus a senatu, intercessione tribunitia morti eximeretur ». Adeo neronianæ clementiæ adhuc fides erat[1] !

Mox vero mansueti viri personam abjecit, atque in omne sævitiæ genus se præcipitem dedit, ut nullus posthac adhiberetur « delectus aut modus interimendi quoscumque libuisset, quacumque de causa; statuit ut lege majestatis facta dictaque omnia, quibus modo delator non deesset, tenerentur[2] ».

Fabricius Veiento accusatus quod testamentum composuisset, ac contumeliæ manifestus, Italia expulsus est[3]. Novius Priscus, propter Senecæ amicitiam, Paconius, Cornutus philosophus, Helvidius Priscus, Thraseæ gener, ac soceri libertatis imitator, Verginius rhetor, quia eloquentia, Musonius Rufus, quia præceptis sapientiæ juvenes ad se allicerent, in exsilium fugati sunt[4]. Annæus Lucanus, principi importunus, ut qui elegantius quam Nero versus faceret, atque imperatoris familiares famoso libello vexavisset, recitationibus et causarum patrocinio prohibitus est; ac deinceps, pisonianæ conjurationis signifer factus, mori jussus est[5]. Nero Senecam ipsum, inter fallacia amicitiæ signa odiosum[6], quod juventutis suæ educatorem, nunc vero flagitiorum quasi judicem et exprobratorem extimescebat, jam antea veneno frustra petitum, tandem interfecit[7].

Rubellium Plautum, stoicum virum, indicto judicio tru-

1. Tacit., *Annal.*, XIV, 48 et 49. Cf. XVI, 21.
2. Suet., *Nero*, 32 et 37. Cf. Tacit., *Annal.*, XV, 71, et *passim*.
3. Tac., *Ibid.*, XIV, 50.
4. Tacit., *Annal.*, XV, 71; XVI, 33; *Histor.*, IV, 6; D. Cass., LXII, 27 et 29; S. Jer., *Chron.*, ad annum 68; Philostr., *Vita Apollon.*, IV, 35; etc.
5. *Vita Luc.;* Tac., *Annal.*, XV, 70; etc.
6. Vide Suet., *Nero*, 35; Tacit., *Annal.*, XIV, 56.
7. Seneca, antequam moreretur, librum emendavit qui, si incidisset in manus principis, metus erat ne multis vitæ discrimen faceret.

cidavit, dubiæ fidelitatis, apud imperatorem, suspectum, ideo quod, assumptis philosophorum placitis, veterum Romanorum mores servaret[1]. « Ad postremum, Nero virtutem ipsam exscindere concupivit, interfecto Thrasea et Barea Sorano, olim utrisque infensus, et accedentibus causis in Thraseam : quod de senatu egressus est, quum de Agrippina referretur[2]; quodque Juvenalium ludicro parum exspectabilem operam præbuerat; die quoque quo prætor Antistius, ob probra in Neronem, ad mortem damnabatur, mitiora censuit, obtinuitque[3]; et quum deum honores Poppææ decernerentur, sponte absens, funeri non interfuit. » Ea crimina Capito Epriusque Marcellus delatores fovebant et augebant : Thrascam enim nunquam pro salute principis sacra persolvere ; stoicosque istos semper tetricum vultum affectare. Baream Soranum præcipue oppressit cliens ejus Egnatius Celer, auro corruptus ut patronum suum accusaret, quamvis ipse stoicorum severitatem ostentaret[4].

Remissius tamen cum Montano actum est, probæ juventutis et honesti ingenii viro, cui crimen erat contumeliose quædam de Cæsare scripsisse[5]; patris precibus redditus est, idque tantummodo in Montanum decretum est, ut reipublicæ honoribus arceretur[6].

Quum Nero plurimum potentia floreret, tum potissimum in eos sæviit quos civitatis hostes ac suos appellabat. Quando Soranum et Pœtum Thraseam perdere in animo concepit, delectum est isti facinori tempus quo Tiridates, Armeniæ

1. Tacit., *Annal.*, XIV, 57-59. Cf. XIV, 22 : « Placita majorum (Plautus) colebat, habitu severo, casta et secreta domo. »

2. Cf. *Annal.*, XIV, 12.

3. *Ibid.*, XIV, 48.

4. D. Cass., LXII, 26; Tacit., *Annal.*, XVI, 21 sqq.; Suet., *Nero*, 37; Plut., *Præc. ger. reip.*, 13; Juven., I, 33 et *Scholia ibid.*, III, 116 :

> Stoicus occidit Baream, delator amicum,
> Discipulumque senex.

5. Id esse verum Tacitus videtur negare.

6. Tacit., *Annal.*, XVI, 28, 29 et 33.

regnum accepturus, Romam venit, ac frequentissima turba et ingenti ludorum apparatu urbs tota percrebuit, « ut magnitudinem imperatoriam, quasi regio facinore, cæde insignium virorum ostentaret[1] », quos natalium splendor, amplæ divitiæ, eloquentiæ cultus et doctrinæ, magni magistratus, dignos faciebant, in quos summa potestas magnifice sæviret.

Ubi vero res ei male cesserunt, et competitores in Gallia Hispaniaque surrexerunt, invidia vero crevit ex frumenti caritate, ac cœpit *cerdonibus esse timendus*[2], tunc patientissime maledicta et convicia tulit, neque in ullos lenior factus est, quam qui principem dictis aut famosis carminibus incesserent. Palam eum contumeliis vehementissime lacerabant ; hæc græce et latine passim in columnis proscribebantur : « Tres matricidæ : *Orestes, Nero, Alcmæon.* » Puerulus expositus est cum ea tabula : « Non te enutrio, ne tu quoque matrem occidas ! » Culeum statuæ Neronis affixerunt, digni quippe qui, culeo insutus, parricidarum pœnas solveret. Quum Gallos Julius Vindex ad arma vocavisset, adscriptum est parietibus « *gallum* cantando Neronem excitasse », ac, per noctem, jurgia simulantes, *vindicem* poscebant. Quin et carminibus eum proscindebant, his versibus multisque aliis in foro positis :

Dum tendit citharam noster, dum cornua Parthus,
Noster erit Pæan, ille Ἑκατηβελέτης.

Neque horum auctores requiri passus est, ac forte deprehensos, vel incolumes dimisit, vel ab eis levissimam tantum pœnam exegit. Isidorus cynicus ei conviciabatur, histrio atellanicus senatum ad populi romani ultionem vocabat ;

1. Tacit., *Annal.*, XVI, 23. Cf. Suet., *Nero*, 36 : « Stella crinita, quæ summis potestatibus exitium portendere vulgo putatur, per continuas noctes oriri cœperat. Anxius (Nero) de ea re, ex Babilo astrologo didicit solere reges talia ostenta *cæde aliqua illustri* expiare, atque a semet in capita procerum depellere. »

2. Hæc sunt verba Juvenalis de Domitiano, *Sat.*, IV, 153.

Nero satis habuit eos Italia submovere[1]. At vindictam in diem opportunum protrahebat, intra se animo supplicia atrocissima parans, speransque fore ut totam urbem funditus evertere, feras in plebem immittere, ac senatores omnes uno convivio necare posset[2]. Sed priusquam hæc belle et mire instructa exsequeretur, ipse interemptus est.

1. Suet., *Nero*, 39 et 45; D. Cass., LXI, 16.
2. Suet., *Ibid.*, 43.

§ IV

De Flaviis.

Nemo erat qui, quum in pessimi principis locum succederet, non a splendidis promissionibus honestisque factis potestatem ordiretur[1]. Galba, omnium consensu, fuit vir tolerabilis, atque *capax imperii, nisi imperasset*[2]. Eos qui sub Nerone delationem acerbissime exercuerant pœnis affecit, ac læsæ majestatis crimine in exsilium actos revocavit[3]. Eisdem Otho bona restituit, apud senatum benigne et clementer locutus est, ac multa populariter fecit[4]. Ipse Vitellius imperandi modestiam affectavit, sermone leni et placido usus est, procerum ac plebis benevolentiam captavit, atque Helvidii Prisci, novissime ab exsilio reducis, et contra principis sententiam in senatu dicentis, liberam vocem æquo animo toleravit[5].

Vespasianus, natura humanissimus, postquam Romam venit, se comiter erga omnes gessit, atque omnium fere gratiam sibi comparavit; ita præteritarum inimicitiarum immemor, ut Vitellii filiam honestissime maritaret[6]. Erat veri patientissimus; amicorum cavillationes, atque hostium, si qui erant, maledicta indulgenter ferebat; facetus ipse,

1. Recte dicebat Montanus orator « optimum esse, post malum principem, diem primum. » (Tacit., *Histor.*, IV, 42.)
2. *Ibid.*, I, 49.
3. Zonar., *Annal.*, XI, 14. Cf. Plut., *Galba*, 17.
4. Plut., *Otho*, 1 et 3; Dio Cassius, LXIV, 8. — Idem vero Neronis statuas restitui passus est; imo, ut quidam tradiderunt, Neronis cognomen assumpsit. (Suet., *Otho*, 7.)
5. Tac., *Ibid.*, II, 91. Cf. D. Cass., LXV, 7. — Non diu in illa clementia perstitit. (Suet., *Vitell.*, 14.)
6. D. Cass., LXVI, 10; Suet., *Vespas.*, 14 : « Offensarum et inimicitiarum minime memor et executor. »

urbanæ dicacitatis, et qui scribentium contumelias joco retundere, quam pœnis ulcisci mallet. Causidicorum *figuras*, σκώμματα et obliqua dicta, poetarum epigrammata argute repungebat[1]. Maternus tragicus, in suo *Catone*, versus recitaverat qui Vespasianum perstringere videbantur[2]; nihil tamen inde damni cepit. Si vero famosos de se libellos in vulgus spargi, vel parietibus apponi audivisset, ipse, sine ira et offensione, sed civili animo et benigno, alia proscribebat, quibus de suis actis ad populum referebat, ac ostendebat quantum utilitatis ex principatu respublica accepisset[3]. Denique omnes fere in eo consentiebant : nullum fuisse romanum principem, sub quo loquendi vel scribendi amplior libertas facta esset[4].

Quid est ergo cur Vespasianus, quum is esset quem diximus, philosophos omnes, præter Musonium, Italia pepulerit? Quanquam res subobscura est attamen haud temere arbitror, Suetonio quidem et Dione Cassio auctoribus, principem eo modo adductum esse ut sapientiæ professores ejiceret.

Post Neronem eversum, quidam ex stoico grege speraverant fore ut antiquus reipublicæ status restitueretur. Quando igitur Vespasianus, Vitellio ab antonianis copiis devicto, ex Oriente in Italiam regressus est, Romæ stoicos, nonnullosque ex primoribus civitatis qui stoicorum os nomenque sumebant, mussitantes reperit, strepentes inter se, multa in principem occulto deblaterantes. Mox audaciores ad arrogantiam, Vespasiani lenitate, facti, eum palam maledictis insequi, et, specie philosophiæ, in principatum invehi, jus imperii imminuere, turbare plebem, atque animos in variam sententiam distrahere. Cynicæ sectæ professores, stoicis affines, more canum, principem

1. *Dialog. Orat.*, 8; Suet., *Vespas.*, 13 et 22; Aur. Victor, *Epitome*, 9.
2. Vide supra, *Parte Ia*, § 7o.
3. Dio Cassius, LXVI, 11. Cf. Aur. Vict., *Cæsares*, 9 : « Flectere potius maluit quam excruciatos delere. »
4. Suet., *Vesp.*, 15; A. Victor, *loco cit.;* Tacit., *Hist.*, IV, 42; *Dial. Orator.*, 17; etc.

allatrabant, ac Diogenes in theatrum veniebat hominum frequentia refertum, convicia in eos evomens.

Quod vero multo gravius erat, viri honestissimi ac probatissimi, multum apud civitatem valentes auctoritate, quosque Neronis invidia sanctiores fecerat, Vespasianum importuna temeritate consectabantur. Hostilius quidam unius potestatem, ut reipublicæ nocivam, impugnabat, ac recepto rerum statui haud convenientia disserebat. Demetrius quoque principi non assurgebat, ac transeuntem salutare dedignabatur. Priscus Helvidius, Vespasianum Romam regressum e Syria privato tantum nomine vocavit, quasi eum negaret esse imperatorem, atque illius potestati non pareret. Is a pueritia in stoica disciplina versatus, magnanimoque spiritu, at qui famæ appetentior esse videretur[1]. Thraseæ soceri loquendi libertatem æmulabatur, parum opportune, quum Vespasianus longe Neroni absimilis esset; neque Thrasea in Neronem quidquam contumeliose dixerat vel egerat, sed principis facinora et flagitia tantum probare noluerat; at Helvidius Vespasiano debitos honores denegabat, ac, quamvis prætor esset, in suis edictis nullam de imperatore mentionem habebat, concitabatque plebem. Imo Vespasianum in senatu altercationibus insolentissimis adoriebatur, ita ut ille quondam e curia confusus exiret, ac diceret : « Aut mihi meus filius successor erit in imperium, aut nemo[2]. »

Hæc quidem Dio ac Suetonius. Quæ si vera sunt[3], Vespasianus, quamvis adversus injurias patiens esset, omnesque moderate tractaret, non potuit tamen ut hostes publicos non habere Helvidium ceterosque ejus arrogantiæ imitatores, qui se turbulentos ac novarum rerum fautores profitebantur. Mucianus præterea, qui principi fortissimus in capiendo imperio adjutor fuerat, ejus animum a philosophis

1. Cf. Tacit., *Histor.*, IV, 6.
2. Suet., *Vesp.*, 15.
3. Id vero nos in suspicionem inducit ea non plane esse vera, quod Tacitus, non factiosam contumaciam, sed tantummodo paulo immodestiorem libertatem in Helvidio reprehendit.

alienabat : quippe id genus hominum superbia intumescere, cuilibet esse incommodos, et quidquid est reliquorum hominum aspernari ; ubi unus quivis, vel e turba fullonum, barbam promisit, græcoque pallio indutus est, statim se Socratem alterum esse credit, atque grandiores spiritus sumit ; si quis est dives, hunc raptorem ; si pauper, servilem ; si formosus, libidinosum appellant.

His igitur permotus Vespasianus, Diogenem, unum e sordidis cynicis, contra se clamitantem virgis cecidit, Heramque capite truncavit. Demetrium et Hostilium in insulas deportavit, ac Demetrio nondum post damnationem a conviciando quiescenti, dixit : « Nihil quidem omittis, ut ego te occidam ; ego vero non committam ut canem conficiam latrantem. » Priscum Helvidium prius relegatum, ac postea etiam interfici jussum, « magni æstimavit servare, missis qui percussores revocarent ; et servasset, nisi jam periisse falso nuntiatum esset[1]. »

Suetonius de Tito novum quiddam atque antea inauditum memorat. Post Neronis excidium, multi accusare aggressi sunt delatores, qui *inter adversa temporum erant*[2]. Helvidius Priscus, in primis, ubi ex exsilio rediit, Eprium Marcellum, Thraseæ accusatorem, occisionis detulit, ac Musonius Rufus actionem apud senatores in Celerem inchoavit, a quo Barea Soranus proditus erat[3]. At Vespasianus hujusmodi accusationes compescuit, ne odia invalescerent, monuitque sermone benigno « de abolendo dolore iraque, et priorum temporum necessitatibus[4] ». Delationis quidem *lucrosa et sanguinans eloquentia*[5] desiit, at ipsi delatores pœnis immunes abierunt. Illæ vero veteres inimicitiæ sub Tito renovatæ sunt, neque is impedivit quomi-

1. Suet., *Vesp.*, 13 et 15 ; D. Cass., LXVI, 12, 13 et 15. Cf. Epictet., *Dissert.*, I, II, 19 et 20.
2. Sueton., *Titus*, 8.
3. Tacit., *Histor.*, IV, 6 et 10.
4. Tacit., *Ibid.*, IV, 44.
5. *Dial. Orat.*, 12.

nus accusatores punirentur. Multos ex illis « in foro flagellis ac fustibus cæsos, ac novissime traductos per amphitheatri arenam, partim subjici in servos, ac venire imperavit, partim in asperrima insularum invehi[1]. »

Domitianus, sub prima dominationis initia, eo usque se a cædibus abhorrere professus est, ut parum abfuerit quin ediceret ne ipsi boves immolarentur; inter amicos dicere solitus : « Qui delatores non castigat, irritat. » At protinus furor accusandi rursum exarsit. Per multos annos, nullus fere dies a capitali sententia cessavit; quisquis paulo licentius scribebat aut loquebatur in judicium correptus est a Palfurio Sura, ab Armillato, a Latino archimimo, principi familiaribus, atque a Publio Certo, Regulo, Massa Bæbio, Metio Caro[2], Catulloque illo Marcellino qui, « luminibus orbatus, ingenio sævo mala cæcitatis addiderat; non verebatur, non erubescebat, non miserebatur; quo sæpius a Domitiano, non secus ac tela, quæ et ipsa cæca et improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur[3]. »

Domitiano nullus, apud Romanos, tyrannus atrocior fuit. Non plures quidem homines quam Tiberius vel Caligula inique occidit; at crudelitas ejus nescio quid ignavi, flagitiosi sordidique affectavit. Non vultum illum modestum, os verecundum, ac ruborem « quo se contra pudorem muniebat[4] » tolerabant, neque in deos simulatam pietatem, quasi participes inmanitatis immortales ipsos adhiberet. Hunc invidia, hunc avaritia, hunc præsertim omnium metus sævum fecit; adeo pavidus et anxius, ut minimis quidem suspicionibus commoveretur, vinctos etiam, eorum recep-

1. Sueton., *Titus*, 8.
2. Plin., *Epist.*, I, 5; VI, 2; VI, 33; X, 13; Tacit., *Agric.*, 45; *Schol. ad Juven.*, I, 35; IV, 53 sqq.
3. Plin., *Epist.*, IV, 22. Cf. Juven., IV, 116 sqq.
4. Tacit., *Agric.*, 45; Suet., *Domit.*, 18 : « Fuit vultu modesto ruborisque pleno... Commendari se verecundia oris adeo sentiebat, ut apud senatum sic quondam jactaverit : « Usque adhuc certe animum meum probastis et vultum. » Cf. Plin., *Paneg. Traj.*, 48.

tis in manum catenis, audiret[1], atque intra ædes palatinas, vel domum albanam abstrusus degeret; illam « immanissima bellua plurimo terrore munierat, quum, velut quodam specu inclusa, nunc propinquorum sanguinem lamberet, nunc se ad clarissimorum civium strages cædesque proferret. Obversabantur foribus horror et minæ, et par metus admissis et exclusis. Ad hæc, ipse occursu quoque visuque terribilis, superbia in fronte, ira in oculis, femineus pallor in corpore, in ore impudentia multo rubore suffusa. Non adire quisquam, non alloqui audebat tenebras semper secretumque captantem, nec unquam ex solitudine sua prodeuntem, nisi ut solitudinem faceret[2]. »

Nero saltem, dum sternebat proceres, plebeculæ gratus erat et acceptus; neque Tiberius invidia meriti vel pecuniæ aviditate[3] cives abstulit, sed specie boni publici abusus, ac Sejani dolis exacerbatus. Domitianus autem, callida et inopinata sævitia[4], quemque honestissimum aggressus est. Nunquam tanta consternatio animorum fuit, quum pavens ac mœsta esset civitas, atque absentes etiam et inauditi ad mortem vel ad exsilium damnarentur, quumque colloquia privata observarentur a speculatoribus[5], ac Corellius quidam, Plinii Secundi amicus, uxorem ipsam dimitteret e cubiculo, inspectaretque parietes, si quando cum familiaribus suis sermones securos volebat conferre[6]. Tum timere et periclitari tota vita fuit innocentium; tum periculosum erat quidquam in scriptis librisve edidisse, nisi fœdis Domitiani laudibus conspergeretur.

Nihil vero minus ferendum videbatur, quam quod Domitianus immanissimam suam sævitiam colore quodam hu-

1. Suet., *Domit.*, 14; Plin., *Paneg. Traj.*, 82.
2. *Paneg. Traj.*, 48. Cf. 49.
3. P. Orosius, *Hist.*, VII, 10.
4. Suet., *Domit.*, 11 : « Actorem summarum pridie quam cruciﬁgeret, in cubiculum vocavit, assidere in toro juxta coegit, securum hilaremque dimisit. »
5. Plin., *Epist.*, IV, 11; VIII, 14; etc.; *Paneg. Traj.*, 44; 45; 95, et *passim;* Dio Cass., LXVII, 3 et 12; Juven., IV, 37; 150 sqq.; etc.
6. Plin., *Epist.*, I, 12.

manitatis ac modestiæ prætexeret, nec ullum hominem ultimo supplicio afficeret, quin prius de sua clementia disseruisset, et questus esset de misera sui ipsius conditione, ut qui, coactus necessitate, pœnas repugnans invitusque exigeret. Domitiani carnificinæ subministri ad senatum, tanquam impietatis reos, nonnullos adduxerant, qui nescio quid contumeliæ *adversus majestatem principis* admisissent; imperator vero patrum concilio adstitit, ac præfatus « se illa die experturum quam senatui carus esset », sic obtinuit ut capite damnarentur. Dein, quasi ab atrocissima pœna, præ nimia sua mansuetudine, abhorreret, ac nihil a se longius abesset quam crudelitas, intercessit ut lenior fieret sententia, hisque verbis concludendo orationem absolvit : « Permittite, Patres conscripti, a pietate vestra impetrari, quod scio me difficulter impetraturum, ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis. Nam et parcetis oculis vestris, et intelligent me omnes senatui interfuisse[1]. »

Patres in curiam vocabantur, ut stultissimas accusationes audirent. Satis erat « a quolibet accusatore qualecumque factum dictumque objectari[2] ». Quidam impietatis rei facti sunt, propter eam causam quod Cæsaris gladiatores odissent, ac offendissent numen Domitiani, cujus pugiles non venerarentur. Ælius Lamia, ob veteres jocos, a delatoribus correptus est. Sallustio Lucullo, Britanniæ legato, capitale crimen illatum est, quod lanceas ex suo nomine *luculleas* appellari tulisset; Metio Pomposiano, quem rerum potiturum apud vulgus fides erat, quod ducum conciones, ex Livio depromptas, circumferret, ac depictum terrarum orbem, in cubiculi parietibus, haberet.

Quid libertatis scribentibus superesse poterat? Attamen Martialem dixisse non puduit :

> Sub quo libertas principe tanta fuit[3]?

1. Plin., *Epist.*, I, 11.
2. *Ibid.*, 12. Cf. Plin., *Epist.*, VIII, 14; *Paneg. Traj.*, *passim.*
3. Mart., V, 19.

Iis quidem maxima quoquo modo adulandi licentia fuit poetis, pecunia Domitiani ac benevolentia donatis, oliva et quercu cinctis in agone capitolino ludisque albanensibus, quibus labor unus erat *Dacici* et *Germanici*[1] triumphos falsos laudasse, Cæsaris ædificia, spectacula, leones, epulas, Earinos quoque celebrasse[2].

Multis cœptum est consilium, ut suum ingenium in umbra sepelirent. Loquendi audiendique non tutum erat commercium, quum a delatoribus recitationes, circulorum colloquia, sermones amicorum captarentur. Senatus erat trepidus et elinguis, nemo in curia « hiscere audebat, præter miseros illos qui primi interrogabantur; ceteri defixi et attoniti, ipsam illam mutam ac sedentariam assentiendi necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore, perpetiebantur[3]! » Ne forense quidem patrocinium exspers periculi fuit; Plinius, causam apud centumviros agens, atque a Regulo delatore laccessitus, difficulter evasit[4]. Non jam dicendi magistris copia supererat ut, pro more, tyrannos in scholis insectarentur, quasi dicta in Phalaridem de Domitiano intelligi deberent; Maternus enim sophista occisus est, quod, inter declamandum, tyrannis maledixisset[5]. Domitianus interfecit Helvidium filium, qui Domitiani divortium, in scenica fabula, sub Paridis et Œnones personis significasse videretur ; item Hermogenem Tharsensem, quia, in historiis ab ipso conscriptis, quædam principem forte attingerent[6].

At ipsum libere scribendi periculum quasdam illecebras

1. Nam ea cognomina Domitianus sibi adscripserat.

2. Statius et Martial., *passim*; Sil. Italic., *Pun.*, III, 606 sqq.; Quint., X, 1, 91; IV, *Præf.;* Josephus, *Vita*, 76; etc. Cf. Plin., *Paneg. Trajani*, 54 : « Quis jam locus miseræ adulationis manebat ignarus, quum laudes imperatorum ludis etiam et commissionibus celebrarentur! »

3. Plin., *Paneg. Traj.*, 76. Cf. *Epist.*, VIII, 14.

4. *Epist.*, I, 5. Cf. III, 11; *Pan. Traj.*, 95.

5. D. Cass., LXVII, 12. Cf. Plin., *Paneg. Traj.*, 47 : « Quem honorem dicendi magistris habes ! Ut sub te spiritum receperunt studia quæ priorum temporum immanitas exsiliis puniebat ! »

6. Suet., *Domit.*, 10. — Servi litterarii, qui eas historias litteris mandaverant, cruci affixi sunt.

habebat, ac reperti sunt qui conviciis in principem eo minus abstinuerint, quo magis constaret Domitianum vel minimos de se jocos molestissime ferre. Se statura procera, grandibus oculis commendari credebat, suam pulchritudinem inepte venditans, eumque Homeri locum subinde jactans :

Οὐχ ὁρᾷας οἷος κἀγὼ καλός τε μέγας τε[1];

Quum vero postea calvitio factus deformis, libellum tamen *De Cura capillorum* edidisset, facetiis dedit occasionem multorum qui, ut eum excruciarent, calvos in suis sermonibus carminibusque per ludibrium lacessebant[2]. Ridiculum edictum promulgaverat, quo vinearum maximam partem excidendas vel exstirpandas esse præscripserat. Statim vero libelli per urbem cum græcis versibus sparsi sunt, quorum sensus erat: « Quamvis me ad radicem extermines, satis tamen uvarum feram, ut te, Cæsar, conspergam mactandum[3]; » hisque minis perterritus, suum de vineis edictum exsequi non ausus est.

Sed acerbissimæ Domitiano cum philosophis inimicitiæ fuerunt, atque infestissimis utrinque animis atrociter pugnatum est. Ipse Tacitus non infitiatur quin stoici se arrogantius gererent, atque inani libertatis jactatione famam ac mortem provocarent; id vero præcipue in Agricola socero laudat, quod, omisso fastu verborum et superbia, moderationem et prudentiam præ se tulerit, temperamentumque adhibuerit *inter abruptam contumaciam et deforme obsequium*, viam securam, honestam tamen, secutus : « Sciant, inquit, quibus est moris illicita mirari, posse etiam sub malis principibus magnos viros esse, obsequiumque ac modestiam, si industria ac vigor adsint, eo laudis excedere,

1. Homer., *Ilias*, XXI, 108.
2. Suet., *Domit.*, 18.
3. Suet., *Ibid.*, 14.

quo plerique per abrupta, sed in nullum reipublicæ usum, ambitiosa morte inclaruerunt[1]. »

Inter eos stoicos qui sanctissima apud sectam nomina Thraseæ et Helvidii Prisci pio cultu venerabantur, nonnulli consuetudine eorum quondam usi erant. Arulenus Rusticus, vir immodici animi, acerrimus ad subeunda pericula, nimiusque forsan in quærenda gloria, Thraseæ adfuit deliberanti cum amicis an senatum, majestatis reus factus, adiret, obtulitque se sententiæ senatorum intercessurum; nam tunc plebis tribunus erat. At Pœtus Thrasea, laudata quidem juvenis virtute, eum dehortatus est ne intercederet, quippe nihil reo profuturus esset, sibi ipsi ingens vitæ discrimen gratis faceret[2].

Quum prope urbem antonianæ ac flavianæ copiæ in eo essent ut cum vitellianis manus consererent, delectus est a senatu Arulenus, qui tunc prætor esset, ut exercitus ad concordiam mitigaret, pacemque suaderet. At extremis periculis obversatus est, comitibus passim disjectis, uno ex lictoribus interfecto, ipsoque prætore vulnerato[3]. Sub Flaviis, magnam Rusticus animi et linguæ libertatem ostentavit; adeo ut, quum philosophum audiret, litteras principis interea acceptas non prius aperiret, quam philosophus dicendi finem fecisset[4]; quod multis paulo arrogantius factum visum est.

Domitiano præcipue incommodus fuit, quia ἐφιλοσόφει[5]. At *philosophari* tunc erat egisse quidquid delatoribus ac Cæsaris adulatoribus displicuisset : ut, si quis sacrificiis pro salute Domitiani non interesset, si conspectum ejus limenque vitaret, si os severum haberet ac frontem censo-

1. *Agricola*, 42. Cf. *Annal.*, IV, 20; *Dial. Orat.*, 41. — Jam antea Seneca philosophus eos objurgaverat viros stoicos, quibus immodesta loquendi libertas periculi causa fuit, ac Lucilium suum monuerat, ut, non aliter quam in navigando procellam, potentium iram declinaret. (*Ep. ad Lucil.*, 14 et 103; *De Otio Sap.*, 3.)
2. Tacit., *Annal.*, XVI, 26.
3. Tacit., *Hist.*, III, 80.
4. Plut., *De Curiositate*, 15.
5. D. Cassius, LXVII, 13.

riam, si priscos mores vel antiquam Quiritum libertatem importunius commemoraret. Illud vero maximum Aruleno crimen erat quod Pœtum Thraseam Helvidiumque palàm collaudaret, eosque venerabiles viros appellaret, imo librum edidisset quo, modo oratorio, Thraseæ dicta gestàque descripserat. Id causa fuit cur accusatores Arulenum impietatis traducerent, ac sententiam mortis ex senatoribus perterritis expromerent, libro quoque Rustici, Romæ et per provincias, exusto[1].

Herennium Senecionem simili crimine corripuit Metius Carus; nam de vita Helvidii Prisci libros Senecio composuerat. Pro defensione dixit se id fecisse rogatum a Fannia, Helvidii uxore; quam etiam Metius majestatis poposcit. Illa, ut erat vera Thraseæ filia, Metio minaciter interroganti non timiditate muliebri respondit, neque negavit se scripturo vitam Helvidii Senecioni commentarios porrexisse. Eam tamen interficere non ausi sunt; sed, publicatis ejus bonis, in exsilium acta est. Herennium pœnis ultimis affecerunt, librosque, propter « necessitatem et metum temporum », senatus consulto aboleverunt[2].

Aruleno et Senecione occisis[3], Domitianus quidquid philosophiæ nomen aut mores assumebat acriter exagitavit. Plures, ob stoicæ disciplinæ professionem, supplicio necavit; alios relegavit, vel urbe et Italia per edictum submovit[4]. Nonne Vespasiani patris ante oculos exemplum habebat, qui philosophos extruserat, ac nihilominus moderati viri famam laudemque adeptus erat? Artemidorum igitur, Mauricum, Metium Modestum, Plinio Secundo amicitia conjunctissimos, Calenum, Telesinum[5], qui sub

1. Tac., *Agric.*, 2 et 45; Sueton., *Domit.*, 10; Plin., *Epist.*, I, 5; III, 11; D. Cass., *loco cit.*
2. Tacit. et Dio Cass., *locis cit.;* Plin., *locis cit.* et *Epist.*, VII, 19. Cf. *Ibid.*, IV, 7; VII, 33.
3. Si Suetonio credas, ex Aruleni crimine Domitianus *occasionem* sumpsit philosophos omnes urbe expellendi. (*Domit.*, 10.)
4. Suet. et D. Cass., *locis cit.*
5. Ex Philostrati testimonio parum certo (*Vita Apoll.*, VII, 11), Telesinus

Nerone consulatum gesserat, Epictetum ac Dionem Chrysostomum Roma ejecit. Neque feminis illustribus, Arriæ et Gratillæ pepercit. Multi philosophi adeo expaverunt ut, habitu mutato, librisque suis deletis, in extremam Galliam, aut in Getarum fines aufugerent[1].

Pauci vero fuerunt sectæ stoicæ pene desertores, qui temporum infelicitati parere, tyrannique scelera consensu vel silentio approbare quam exsulare potius habuerunt[2]; philosopho Deciano Martialis miram prudentiam, per irrisionem, gratulatus est, quodque Thraseæ et Catonis placita sic sequeretur, incolumis tamen ut esse vellet, nec strictos in gladios nudo pectore incurreret[3]!

Philosophorum ejectio bonis omnibus indignationem movit, atque ipse Tacitus, quanquam, ut supra dixi, stoicorum pervicaciam vituperabat, tamen, paucis post annis, quum jam sub Trajano secure loqui liceret, vehementer invectus est in principem immanem, qui sapientiæ doctores expulisset, *ne quid usquam honestum occurreret*[4]. Quid enim tristius, in humanis consiliis, esse potest, quam homines probos propter nomen suum vel opiniones proscribi? Rebus quoque veris fabulæ deinceps additæ sunt de philosophorum Domitianique inimicitiis, idque præsertim relatum est : Apollonium scilicet Thyanæum, quum Ephesi apud populum concionaretur, ea ipsa hora qua Domitianus a Stephano ceterisque conjuratis pugione occisus est, ut

edicto volens cessit, « exsulare potius ut philosophus, quam ut consularis Romæ remanere satius habens ».

1. Tacit., *Agric.*, 45; Philostr., *Sophistæ*, I, 7; *Vita Apoll.*, *loco. cit.* et VIII, 7; Dio Chrysost., *Oration.*, XIII; Plinius, *Epist.*, I, 5; III, 11; *Paneg. Traj.*, 47; Lucian., *Peregr.*, 18; S. Jer., *Chron.*, ad annos 89 et 95; Sulpicia, *Sat.*, 37 :

> Studia et sapiens hominum nomenque genusque,
> Omnia abire foras, atque urbe excedere jussit.

2. Philostr., *Vita Apoll.*, VII, 4.
3. *Epigramm.*, I, 9.
4. *Agricola*, 2.

postea certo compertum, repente constitisse, atque oculis ad Italiam conversis, exclamavisse : « Macte, Stephane! Bene, Stephane! Tyrannum percussisti..... sauciasti..... interfecisti[1] ! »

1. Philostr., *Vita Apoll.*, VIII, 26; Zonar., *Annal.*, XI, 19. Cf. id quod Philostratus in *Vita Apollonii*, IV, 44, ingeniose magis quam vere narrat.

§ V

De Antoninis ac præcipue Hadriano

Suetonius memoriæ prodidit, in ultimo *Cæsarum* articulo, Domitianum excogitasse, per somnia, se post cervicem aureum gerere gibbum, indeque portendisse meliores post se futuros esse imperatores, ac feliciorem fore reipublicæ statum, « sicut sane brevi evenit, abstinentia et moderatione insequentium principum[1] ». Ætatem enim aggredimur longa pace animorum insignem, quæ vix scriptorum calamitates edisserenti quidquam dicendum relinquat.

Ubi primum Domitianus concidit, ac summa rerum Nervæ moxque Trajani in manus venit, omnia studia paulo liberiora, « quæ priorum temporum immanitas exsiliis puniebat, spiritum, et sanguinem, et patriam receperunt[2] ». Exstincta quadruplatorum delatione, exsules in civitatem ac bona sua restituti sunt[3], Nervaque jurejurando affirmavit se nunquam ullum e senatoribus in causam majestatis delaturum[4]. Neque plerisque satis fuisset, diutina servitute fractis et contusis, libertatem recuperasse, nisi etiam dedecoram libertatis intemperantiam ostentassent, ac defunctum tyrannum, modo pene adoratum, omni conviciorum genere lacerassent. Multi enim ex iis etiam qui maxime Domitiani crudelitatis fautores fuerant, simul atque eum esse interemptum rumor per urbem increbuit, in curiam concurrentes, assurgentesque in mortuum principem, scalas ad publica monumenta apponi, et imagines ejus detrahi con-

1. *Domitianus, ult.*
2. Plin., *Paneg. Trajani*, 47.
3. Paulus Oros., *Hist.*, VII, 11. Cf. Zonar., *Annal.*, XI, 20; etc.
4. Dio Cass., LXVIII, 2. Cf. LXVIII, 5.

fringique jusserunt[1]. « Juvabat illidere solo superbissimos vultus, instare ferro, sævire securibus, ut si singulos ictus sanguis dolorque sequeretur; nemo fuit tam temperans gaudii, quin instar ultionis videretur cernere laceros artus, truncata membra, truces horrendasque imagines abjectas, excoctasque flammis[2]. »

Ii vero quibus spiritus excelsiores erant, quique ea turpia, viro indigna, aspernabantur, passim in senatu, clamoribus incompositis, magnoque verborum strepitu, quisque parentem oppressum aut amicum vindicantes, delatores accusabant, his tamen intactis quos opes, loquendi facultas, magna clientela, accepti honores a periculo defendebant[3]. At multi ex minoribus delatoribus in naves exarmatas rapti sunt, ac fluctibus permissi, ut si cui eorum procellæ pepercissent, is in saxa et littora inhospitalia pulsus, ibi duram vitam degeret[4]. Plinius Secundus libros *de Ultione Helvidii filii* composuit, orationibus recollectis et editis, quas de ea re apud senatum habuerat; aliisque studium fuit ut occisos relegatosve scriptis vindicarent, aut Domitiani ceterorumque malorum principum memoriam urgerent, atque præterita pericula, securitate jam recepta, tute retractarent[5].

Postquam Domitianus, sub umbra servandæ auctoritatis, tot et tanta facinora commiserat, intellexit Trajanus nihil fore melius, ac si « augeret facilitatem imperii, et res olim dissociabiles, principatum ac libertatem » conciliaret[6]. Attamen in vere seditiosos non mollior fuit, et plures qui in se conspirassent, ad senatum detulit puniendos[7].

1. Suet., *loco cit.*
2. *Panegyr. Trajani*, 52.
3. Plinius, *Epist.*, IX, 13 : « Primis diebus redditæ libertatis, pro se quisque inimicos suos, *duntaxat minores*, postulaverant simul et oppresserant. »
4. *Paneg. Traj.*, 34. Cf. 35 : « Juvabat prospectare statim a portu sparsa navigia, et agere principi gratias, qui ultionem hominum terrarumque diis maris commendasset. »
5. *Ibid.*, 53; *Epist.*, V, 5.
6. Tacit., *Agricola*, 3. Cf. Plin., *Epist.*, VIII, 14; *Paneg. Traj.*, 78.
7. Dio Cassius, LXVIII, 18.

At verba et scripta neglexit, et quorumdam jocis punctus, istud nihili fecit. Natura lenissimus, bene affectatus erga omnes, nulli formidabilis, amari se magis quam metui gavisus, ipse neminem timebat[1]. Cuilibet sentiendi quæ vellet, et quæ sentiret dicendi copia erat : « Nunc liberius, ait Plinius, ideoque etiam libentius scribitur[2] ; » ipseque Martialis, quanquam immodicus Domitiani adulator fuerat, fatebatur tamen scribendi libertatem, olim pene amissam, a Nerva et Trajano instauratam esse :

Licet *toto* nunc Helicone frui;
Longi terga dedere metus[3].

Quis unquam Tacitus, Suetonius, Juvenalisve sub Domitiano esse potuisset? Quis libero animo, ac sincera fide, bella civilia, quibus Flavii principes ad imperium evecti erant, conscripsisset[4] ?

Hanc placabilem ac lenissimam reipublicæ administrandæ rationem adhibuerunt ii optimi principes, quos *Antoninos* appellare consuevimus. Antoninus Pius, vir *pronissimus ad indulgentias*[5], usque eo mitis fuit, ut quum, ob inopiam frumenti, lapidibus a plebecula peteretur, maluerit iratos placare, quam gladio seditiosos plectere ; quumque quidam homines causa majestatis ad supplicium poscerentur, quæstionem compresserit, negaveritque a pœnis imperium sibi esse auspicandum[6].

1. D. Cass., LXVIII, 6 et 7; Aur. Victor, *Cæsares*, 13.
2. *Epist.*, III, 18; Tacit., *Hist.*, I, 1.
3. *Epigramm.*, XII, 6. Cf. X, 72 :

Frustra Blanditiæ venitis ad me,
Attritis miserabiles labellis,
Dicturus Dominum Deumque non sum :
Jam non est locus hac in urbe vobis; etc.

4. *Scholia ad Juven.*, II, 99.
5. Capitol., *Anton. Pius*, 10 : « Quum Marcus (Aurelius) mortuum educatorem suum fleret, vocareturque ab aulicis ministris ab obstentatione pietatis, ipse (Antoninus) dixit : « Permittite illi ut homo sit; neque enim vel philosophia, vel imperium tollit affectus. »
6. Aur. Victor, *Epitome*, 15; Zonar., *Ann.*, XII, 1. Cf. Capit., *Anton. Pius*, 7.

Marcus Aurelius rursum, cavillationibus perstrictus, quia stoicæ disciplinæ, plus quam imperatori concessum, sese tradiderat, atque in scena ipsa a Marullo mimographo gravissime lacessitus, injuriam impune accepit[1]; reprehensus est etiam ab amicis quod in suos hostes facilior esset, atque auctoritatem in contemptum adduceret; Marcus vero respondebat « non quidquam esse quod imperatorem romanum melius commendet quam clementiam; hanc Cæsarem deum fecisse; hanc Augustum consecrasse[2] ».

In eo felicissimo *quinque bonorum imperatorum*, ut dicunt, sæculo, solus omnium Hadrianus aliquid molestiæ philologis hominibus attulisse interdum videtur. Ferunt enim sophistas ac grammaticæ philosophiæque doctores ab Hadriano vexatos esse. Quum enim se nihil ignorare profiteretur, et cujusvis arte aliqua florentis pravus esset atque invidus obtrectator, nonnullos dignitate amovit, vel quoquo modo perdidit, ne ipse cuiquam impar esse videretur. Dionysium Milesium, celeberrimum rhetorem, ac Favorinum Arelatensem plurimum exagitavit, ipsis discipulos subtraxit, eorumque loco sophistas minime pares supposuit, Heliodorum præsertim, cui Dionysius: « Te Hadrianus honoribus, te divitiis donare potest, non eloquentia; » eumdem vero Heliodorum, postea invisum factum, imperator libellis famosis lacessivit[3].

Absit tamen ut atrociora fuisse credamus ea Hadriani pædagogorumque jurgia, inter se non de republica, sed de antiquitatibus romanis vel grammatica dissidentium. Favorinus quidem id mirandum in vita sua esse gloriabatur, quod cum principe Hadriano controversiam habuerat, ac tamen vitæ discrimen effugerat, amicisque dicebat: « Grave est cum homine triginta legiones habente dissentire[4]! » At Favorinus, ut erat Gallus ac paulo sui jactan-

1. Capit., *Anton. Philos.*, 8, 12, 22 et 29.
2. Vulc. Gallicanus, *Avid. Cass.*, 8 et 11. Cf. *Ibid.*, 12 et 13; Capit., *Ant. Phil.*, 12 et 24; etc.
3. D. Cass., LXIX, 3; Philostr., *Vitæ Sophist.*, I, 8; Spart., *Hadrian.*, 15.
4. Philostr. et Spart., *locis cit.*

tior, se in magno periculo fuisse animo conceperat. Non est sane dubium quin Hadrianus, homo versatilis ac multiplex, « severus, lætus, comis, gravis, lascivus, tenax, liberalis, simulator, verus, sævus, clemens, et semper in omnibus varius[1] », sæpe dicendi magistris, philosophis, grammaticis ac poetis, quorum tamen præcipue consuetudine gaudebat[2], molestus atque importunus fuerit, eos acriter reprehenderit, quæstiunculis obtuderit, improbis læserit jocis, imo paucos eorum cathedra depulerit[3]. At nequaquam credam ultra in litteratores sævitum esse. Nemo est ceteroquin ex romanis principibus de quo inter historiæ scriptores minus conveniat. Etenim laudant Hadrianum quod cives moderate tractavit, se affabilem omnibus præbuit, nec ægre tulit eos qui ipsum correxissent, vel aspera contra se dixissent, atque, quum imperium adeptus esset, ea voce inimicum est ultro allocutus : *Evasisti!* eumdemque vituperant, quod Apollodorum architectum, propter jocos veteres, inique necavit[4]. Spartianus tradit[5] Hadrianum tantum clementiæ studium præ se tulisse, ut, quum, *sub primis imperii diebus*, admonitus esset Bæbium ipsi insidias struere, noluerit tamen eum pœnis majestatis affici. At contra Dio Cassius auctor est[6] Hadrianum, propter cædes nobilium virorum *initio principatus* occisorum, odia suscepisse!

Quidquid de Hadriano disputari potest, compertum est tamen litterarum professionem, per centum annos pene integros, a Trajani principio ad Antonini philosophi exi-

1. Spartian., *Hadrian.*, 14. Cf. A. Victor., *Epit.*, 14 : « Varius, multiplex, multiformis. »
2. Spart., *Ælius Verus*, 3.
3. Spart., *Hadrian.*, 16 et 20; Philostr., *Sophist.*, I, 8; Dio Cassius, *loco cit.;* A. Victor, *loco cit.*
4. Spart., *Hadr.*, 17 et 20; D. Cass., LXIX, 4 et 6.
5. *Hadrianus*, 5.
6. D. Cass., LXIX, 2 et 23. Cf. Aur. Victor., *Cæsares*, 14; Spart., *Hadrian.*, 20 : « Marius Maximus dicit eum natura crudelem fuisse, et idcirco multa pie fecisse, quod timeret ne sibi idem quod Domitiano accidit, eveniret. »

tum, a metu solutam fuisse, ac servitute immunem. At minime miror, si imperatorum cum scriptoribus atque oratoribus inimicitiæ fere exstinctæ sunt. Præterquam enim quod, in eo beato sæculo, principes clementissime et patientissime rempublicam gesserunt, nihil erat cur homines litterati inveherentur in viros sapientes, moderatos, civium parentes, non dominos, a diis romano imperio ad id præfectos, ut, pro virili parte, felicitatem omnibus pararent. Quid vero culpæ est Trajano atque Antonino Pio, si jejunam querelarum materiam exilesque criminandi causas usitatis theatri jocis, conviviorum circulorumque conviciolis, causidicorum ac sophistarum figuris, philosophorum objurgationibus, historicorum maledicentiæ reliquerunt?

---

§ VI

De principibus qui post Marcum Aurelium imperium obtinuerunt.

Marcus Aurelius filio suo auctoritatem longo jam usu atque omnium civium in Antoninos caritate stabilitam tradidit. Aliquandiu enim Commodus, nactus imperium, hoc populi studio et benevolentia in Marcum patrem usus est, invitique eum Romani odio habere cœperunt, etsi multa certaque indicia erant Commodum longe aliter ac parentem imperaturum.

Quum tamen timidus esset, simplex, neque callidus, ac suis familiaribus pareret[1], laudabiles propemodo mores retinuit, donec secum habuit, atque in consiliis capiendis assumpsit probatissimos senatores, quos pater monitores ei moriens dederat[2]. At mox principi tædio fuerunt stoici isti graves ac jurisconsulti, qui, quum ad assentationem parum eruditi essent, imperatoris libidinibus non inserviebant. Aures igitur et mentem ad Perennium, hominesque juniores et minime tristes advertit, qui Commodo suaserunt ut, relicta omni verecundia, spretisque bonorum querimoniis, gladiatoria certamina capesseret. Ut enim Nero citharistam et comœdum, Caligula vero circensem aurigam, ita Commodus, cum vulgi laudibus et approbatione, gladiatorem egit[3].

Mox ad cædes auri cupiditate impulsus est, adeo ut

1. Dio Cassius, LXXII, 1. Cf. Zonar., XII, 4.
2. « Patris ministeria seniora submovit, amicos senes abjecit, etc. » (Lampridius, *Commodus*, 3.)
3. Herodian., *Hist.*, I, 17.

« Domitiano crudelior[1] » haberetur. Delatores, quorum exitiale negotium jampridem intermissum erat, rursus tunc latrocinari, vitam omnium publicam privatamque explorare, sermones, suspiria, silentium ipsum aucupari, quemque ditissimum ad senatum trahere. Multi ergo viri nobiles, prædæ causa[2], trucidati sunt a Commodo, eorumque bona publicata. Neque vero his pepercit qui principem dictis scriptisve offendissent, quorum plures in arena feris objici jussit. Mimi deportati sunt, quia Commodum infamavissent; homini cuidam id tantum crimini fuit, Suetonii Tranquilli librum de vita Caligulæ legisse, quia Commodus « eumdem diem natalem habuerat, quem et Caligula[3] ».

Sed quanquam non sine magno periculo quidquam durum de Commodo scriptitabatur, carmina tamen in imperatorem invisissimum injecta sunt[4]. Quum magni æstimaret se Herculem appellari, versus per ludibrium scripti sunt, quos de græco illepide quidem et frigide in hunc modum conversos habemus :

Commodus Herculeum nomen habere cupit;
Antonini nomen non putat esse bonum,
Expers humani juris et imperii,
Sperans quin etiam clarius esse deum,
Quam si sit princeps nominis egregii;
Non erit iste deus, nec tamen ullus homo[5].

Qui sermones in circulis conserere solebant, Pertinacem

1. Lampr., *Comm.*, 19 : « Sævior Domitiano, impurior Nerone. » — Tam absurda tamen Lampridius de Commodo jactavit, ut caute sit accipiendum quidquid ille de Marci Aurellii filio scripsit.

2. Imperatorum avaritia sæpe accusatores excitavit. Nam mali principes, voluptatibus, spectaculis, ædificiorumque impensis exhausti, cives opulentissimos, quolibet crimine conficto, interficiebant, ut eorum divitias corriperent; fama fuit Caligulam, quum comperisset Junii Prisci facultates non tantas fuisse ut occideretur, dixisse se a Prisco deceptum. (D. Cass., LIX, 18. Cf. Suet., *Domit.*, 12; Herod., *Hist.*, I, 23; etc.)

3. Lamprid., *Comm.*, 3 et 10.

4. *Ibid.*, 13 : « Versus in eum multi scripti sunt, de quibus etiam, in opere suo, Marius Maximus gloriatur. » Erat autem Marius Maximus historiarum scriptor, ut his temporibus, notabilis.

5. Lamprid., *Anton. Diadum.*, 7.

facete *chrestologum* appellarunt, ut qui bene loqueretur, ac male faceret[1]. Attamen bonorum animos, post Commodi interitum, recreavit, majestatis quæstiones penitus tulit, delatores punivit, promisit neminem deinceps accusandum esse, quod in principem liberius dixisset vel scripsisset, magnamque spem fecit fore ut clementer ac moderate rempublicam gereret[2]. At nece improvisa cito ablatus, quid pro imperii felicitate potuisset non apparuit.

Septimius Severus Pertinax satis laudabiliter imperavit; aspere tamen et ingrate cives tractavit, qui crederet Romanos non sine flagellis gubernari posse [3]. Quamvis favorem populi captaret, ac suam clementiam prædicaret, multos atrociter necavit [4], pœnisque eos affecit, qui liberius lingua uterentur; occisi sunt enim qui modice ac benigne in principem jocati erant, ut : « Ecce imperator vere nominis sui, vere *Pertinax*, vere *Severus*[5]. »

Bassianus Antoninus, Caracalla cognomine appellatus, infausta litteris tempora reduxit. Speculatores circummittebat, qui sermones omnium subauscultarent, ut, si quid adversus principem diceretur, vel in cœtibus recitaretur, statim acciperet, sui injurias atrociter ulturus[6]. Samnonicus Serenus poeta inter cœnandum est occisus; interfecit quoque Priscum Thraseam, virum genere et doctrina insignem, et eos qui Getæ nomen, in comœdiis aut carminibus, pronuntiaverant, quasi Bassiano, Getæ fratris exstinctori, impium facinus exprobrassent[7] ; Papinianum occidit, ut ferunt quidem, quod Caracallam fratricidam excusare noluisset[8].

1. Capitol., *Pertinax*, 13.
2. Capitol., *Ibid.*, 6 et 7; Dio Cassius, LXXV, 5; Herod., II, 16.
3. D. Cass., LXXV, 8; Eutrop., VIII, 10; Herod., III, 26; Julian., *Cæsares*, 10 et 11.
4. Spartian., *Sept. Sev.*, 12 et 13. Cf. D. Cass., LXXV, 9.
5. Spart., *Septim. Sever.*, 14.
6. D. Cassius, LXXVII, 17.
7. D. Cass., LXXVII, 5 et 12; Spartian., *Carac.*, 4; Herod., IV, 11.
8. Spart., *Sept. Sever.*, 21. Cf. *Carac.*, 4 et 8; A. Vict., *Cæs.*, 20; Zozimus, I, 9; etc.

Alexander vero Severus[1] tantæ mansuetudinis fuit, ut nocentissimis quoque vitam indulserit, ac familiares ei clementiam immodicam objecerint, dictitantes eum, nimia sua lenitate, auctoritatem contemptibiliorem fecisse, atque vim principatus enervasse[2]. Quum aliquis eum carmine cavillatus esset, Alexander, ut erat homo facetus atque in jocis dulcissimus, versiculis tantummodo contradixit[3]. At litteratis hominibus non modo pepercit; eos etiam reformidavit, « ne quid de se asperum scriberent. Eos adesse jubebat; singula quæque, quæ publice privatimque agebat, se ipse docente, volebat addiscere, si forte ipsi non adfuissent, eaque petebat, ut, si vera essent, in litteras mitterent[4]. »

Quantum libertatis, sub ultima imperii romani sæcula, scriptoribus relictum fuerit explorare non aggrediar. Tam pauca enim documenta reperio, tamque incerta et suspectis orta fontibus, ut quid consilii contra scribentium licentiam ceperint horum temporum principes dicere nequeam. Exstiterunt procul dubio qui imperatores petulanter incesserent: eorum vero nomina perierunt, nisi quod licentiæ theatralis, poetarumque dicacitatis aliqua, apud auctores, indicia raro inveniuntur[5].

1. De Macrino, vide præsertim Capit., *Macrin.*, 11-13. Cf. D. Cass., LXXVIII, 12; Herod., v, 2. — De Heliogabalo nihil reperio quod ad litteras attineat.
2. Lamprid., *Alex. Sev.*, 20. Cf. Herodian., VI, 3 et 18.
3. Lamprid., *Ibid.*, 38.
4. *Ibid.*, 3.
5. Vide *Partem Iam*, *passim*.

CONCLUSIO

Philosophi, Neronis præsertim atque imperatorum Flaviorum diebus, vehementiore studio ac parum modesta libertate in Cæsares eruperunt. Dicendi præceptores, dum inter discipulos declamant, in *tyrannos* debacchati sunt, nominaque Bruti et Catonis, principibus odiosa, incommode retractarunt; neque in senatu oratores, aut in judiciis causidici verba facientes, abstinuerunt quin de potentibus multa temere jacerent. Ii vero qui res gestas memoriæ tradiderunt, ita infesto sæpe liberove animo acta populi romani, virorumque illustrium vitam scripserunt, ut apud imperatores offensionem susceperint, mendaciis non semel veritati admixtis. Libelli probrorum pleni, testamenta famosa, maledicentissimi dialogi, epistolæ fictæ mentitaque edicta aut senatus consulta circumferebantur. Res tamen præcipue adversus Cæsares carminibus acta est. Nam quotidiana epigrammata, menippeæ satiræ, argutæ cantilenæ improbique versiculi per doctorum circulos evulgabantur, aut in publicis monumentis proscribebantur. In theatro quoque, ubi effrenata esset histrionum licentia, acerbissimis dicteriis principes fatigatos esse ex historia accepimus.

Quomodo vero se imperatores cum scriptoribus gesserint satis disseruimus. Longa est suppliciorum series, quæ de litteratis hominibus sumpta sunt. Ut eos enim omittam quibus una tantum pœna fuit interdici contubernio et convictu Cæsaris, vel prohiberi quominus sua carmina in

publico recitarent, alii multi pœnis gravioribus affecti sunt. Sæpenumero libri seditiosi, per ædilium ac triumvirorum ministeria, jure et judicio cremati sunt. Homines sordido loco natos, servos librarios qui librum famosum litteris exscripserant, histriones abjectissimos virgis cædi, cruci affigi, projici ad bestias, vel medio in amphitheatro comburi principes jusserunt. Si quem vero pluris faciebant, hunc relegatione mulctabant, ubi degeret arctius custoditus, intestabilisque, ac jure civitatis diminutus[1]. Scriptores quoque securi percussos fuisse, laqueo strangulatos, vel de saxo capitolino præcipitatos, ac postea unco tractos ad scalas gemonias, comperimus. Quibusdam, hisque primoribus urbis, datum est *liberum mortis arbitrium*, ut domi, atque inter parentes et amicos, modo quem elegissent, vitam finirent; idque *inter magnas Cæsaris clementias* habebatur[2].

Hæc quidem ex lege majestatis aut ex arbitrio suo Tiberii Neronesque fecerunt. Res tamen vere, atque ut sunt, non ex opinione præsumpta et falsa æstimanti, visum sane fuerit plerosque principes, quorum in manu summa auctoritas fuit, non inclementi animo imperii gubernacula tractasse. Ea non sæpius interciderunt *acerbissima tempora*[3], quando omnia metu « trepida et confusa erant, voluptates ipsæ timebantur, lingua sollicite custodienda erat, terror et misera illa ex periculis facta prudentia cives monebat ut a republica oculos, aures, animos averterent[4] ». Annos pessimi dominatus ac teterrimæ servitutis, a pugna apud Actium usque ad Commodi imperium, haud multum ultra triginta recenseas; nam Tiberius, Caius, Nero ac Domitianus vel felicia, vel tolerabilia initia habuerunt. Neque mali principes quidquid vellent agebant; omnium enim, vulgi præsertim, opinionem non minimi habebant. Imo vero

1. De relegatis et deportatis vide *Dig.*, L. XLVIII, T. XXII.
2. Tacit., *Annal.*, XI, 3; XVI, 33; Suet., *Domit.*, 11; *Vita Lucani;* etc.
3. Seneca, *Cons. ad Marc.*, 22.
4. Seneca, *De Clem.*, I, 26; Plin., *Paneg. Traj.*, 66.

senatores ipsos, etiam terrore attonitos, atque ad omnem servitutem paratos[1], verebantur tamen et extimescebant; Vitellius, adulandi callidus, ut se Neroni probaret, illi dicebat : « Es mihi, Cæsar, invisus, quod es unus e senatoribus[2] ! » Nero ipse, ubi ipsius fortuna labi cœpta est, atque ad angustias redactus est, contumelias eorum patientissime tulit, quos antea summis suppliciis, sine dubio, punivisset[3].

Sed qui res scripserunt multi sunt in narrando, si quis principum in litteratos homines crudeliter sæviit, silentio pene prætereunt clementiam, quæ ad scribendi laudem parum proficit. Ut enim in pace armorum, ita in civium securitate sub optimo principe, nihil est quod legentium animos commoveat; eo accedit ut de beata illa et humanissima Antoninorum ætate pauciora monumenta tradita sint. Hinc factum est ut multi crediderint, hodieque credant nullum, sub Cæsarum dominatione, scriptoribus locum fuisse, nisi serviendi et adulandi conditionem acciperent, neque ullam liberiorem vocem toleratam esse. Non negamus fuisse tempora infausta, quibus nihil, nisi aut servitus, aut silentium, aut summum periculum scribentibus parabatur[4] ; sed sæpius licitum fuit ut quidquid fere sentires ore libero diceres.

1. Tacit., *Annal.*, III, 65.
2. D. Cassius, LXIII, 15. Cf. Suet., *Nero*, 37; Juven., IV, 73; etc.
3. Vide supra., *Parte IIa*, § 3o.
4. Vide præsertim Plin., *Pan. Trajani*, *passim*.

FINIS

INDEX LIBRORUM ET OPUSCULORUM

QUÆ MAXIME

AD HUJUS THESIS ARGUMENTUM PERTINENT

N. B. — Prætermittendos censuimus eos auctores qui rem Romanorum litterariam, vitamque Cæsarum in universum vel pro magna parte digesserunt, ut sunt W. Teuffel, Bernhardy, Bæhr, V. Duruy, Merivale, Tillemont, Zeller, Beulé, de Champagny. Gerlach, etc.; omisimus quoque præfationes sive prolegomena ad editiones classicorum auctorum. Quum vero rarissimi sint multi ex libris infra laudatis, neque ullo modo copia fuit eos singulos legendi, a judicibus ac lectoribus veniam petimus, si pauculi errores in hunc indicem forte irrepserunt.

AMIEL, Histoire de l'éloquence sous les Césars, in-8°, 1864, *Paris.*

AUBERTIN, De sapientiæ doctoribus qui a Ciceronis morte ad Neronis principatum Romæ viguere, in-8°, 1857, *Paris.*

AULARD, De Asinii Pollionis vita et scriptis, in-8°, 1877, *Paris.*

BACH, Historia jurisprudentiæ romanæ, ed. sexta, in-8°, 1807, *Lipsiæ.*

BAEHRENS, De Sulpiciæ quæ vocatur satira, in-8°, 1873, *Ienæ.*

BERGER DE XIVREY, Sur les relations littéraires entre Cicéron et César, in-4°, 1860, *Paris.*

BERNING, De Satirarum scriptoribus romanis, in-4°, 1850, *Recklinghausen.*

BERNSTEIN, Versus ludicri in Romanorum Cæsares, in-8°, 1810, *Halæ.*

G. BOISSIER, Etude sur la vie et les ouvrages de Térentius Varron, in-8°, 1861, *Paris.*

ID., l'Opposition sous les Césars, in-8°, 1875, *Paris.*

ID., Promenades archéologiques [chap. IV, La villa d'Hadrien], in-12, 1880, *Paris.*

BONAMY, Recherches sur Timagène (Mémoires de l'Acad. des Inscriptions, t. XIII).

BOOT, De Sulpiciæ quæ vocatur satira, in-4°, 1868, *Amstelodami.*

BRUNEL, De tragœdia apud Romanos circa principatum Augusti corrupta, in-8°, 1884, *Paris.*

CHASSANG, De corrupta post Ciceronem a declamatoribus eloquentia, in-8°, 1852, *Paris.*

COUAT, Etude sur Catulle, in-8°, 1874, *Paris.*

COURDAVEAUX, Caractères et talents, in-8°, 1867, *Paris.*

DESPREZ, de l'Art dramatique sous les empereurs romains, in-4°, 1828, *Paris.*

DUBOIS-GUCHAN, Tacite et son siècle [t. II], 2 vol. in-8°, 1862, *Paris.*

DUCHESNE, De Taciti ad enarrandum Tiberii Cæsaris principatum parum historicis artibus, in-8°, 1870, *Paris.*

DURAND DE LAUR, Mouvement de la pensée philosophique à Rome depuis Cicéron jusqu'à Tacite, in-8°, 1874, *Versailles.*

V. DURUY, De Tiberio imperatore, in-8°, 1853, *Paris.*

ECK, De vita, moribus et studiis Antistii Labeonis et Ateii Capitonis, in-8°, 1692, *Franekeræ.*

E. EGGER, Examen critique des historiens anciens de la vie et du règne d'Auguste, in-8°, 1844, *Paris.*

ERNESTI, Clavis Horatiana, 2 vol. in-8°, 1802, *Berolini.*

L. ETIENNE, Dio philosophus, gr. in-8°, 1849, *Paris.*

FERRAR, De stoica disciplina apud poetas latinos, in-8°, 1862, *Paris.*

A. FEUGERE, C. Cilnius Mæcenas Octaviano Augusto... quantum profuerit, in-8°, 1874, *Paris.*

FRANCKE, Examen criticum Juvenalis vitæ, in-8°, 1820, *Altonæ.*

FRIEDLÆNDER, Civilisation et mœurs romaines du règne d'Auguste à la fin des Antonins, trad. par Ch. Vogel [t. II et IV], 4 vol. in-8°, 1865, sqq., *Paris.*

GELPKE, De Senecæ vita et moribus in-4°, 1848, *Bern.*

GENTHE, De Lucani vita et moribus, in-8°, 1859, *Berolini.*

GEPPERT, Ueber die Aussprache des Lateinischen im ältern Drama, gr. in-8°, 1858, *Leipzig.*

GIRARD, Un poète républicain sous l'empire [Revue des Deux-Mondes, 15 juill. 1875].

GOTTLING, De M. Tullii Ciceronis laudatione Catonis et de Julii Cæsaris *Anticatonibus*, in-4°, 1865, *Ienæ.*

GREGOROVIUS, Geschichte des röm. Kaisers Hadrian und seiner Zeit, 1851, *Königsberg.*

GRELLET-DUMAZEAU, Le Barreau romain, in-8°, 1851, *Moulins* et *Paris.*

GRYSAR, Der römische Mimus, in-8°, 1854, *Wien.*

GUILHEM DE SAINTE-CROIX, Dissert. sur le goût de l'empereur Hadrien pour la philosophie, etc. [Mém. de l'Acad. des Inscriptions, t. XLIX].

HELD, De vita scriptisque Cremutii Cordi, in-4°, 1841, *Schweidnitz.*

HEPKE, De Philosophis qui Romæ docuerunt usque ad Antoninos, in-8°, 1842, *Berolini.*

HILD, Juvénal, notes biographiques, in-8°, 1884, *Paris.*

HIPPEAU, Le Théâtre à Rome, gr. in-8°, 1883, *Paris.*

HOCHART, Etudes sur la vie de Sénèque, in-8°, 1885, *Paris.*

HOLLENBERG, De præcipuis stoicæ philosophiæ doctorum et patronorum apud Romanos, in-8°, 1793, *Lipsiæ.*

JÆNICKE, De vitæ Hadrianeæ scriptoribus, in-8°, 1875, *Halis.*

J. JANIN, La Poésie et l'éloquence à Rome au temps des Césars, in-8°, 1864, *Paris.*

JOACHIM, P. Valerii Pœti Thraseæ vita, 1858, *Læhr.*

H. JOLY, De cynica institutione sub imperatoribus romanis, in-8°, 1869, *Paris.*

KIRSCHBAUM, Quid Tacitus senserit de rebus publicis, in-8°, 1857, *Ienæ.*

KLOTZ, Prolusio de *Octavia* L. Annæi Senecæ, in-8°, 1804, *Wittemberg.*

KNAUT, Hadrian als Regent und als Charakter, in-4°, 1881, *Berlin.*

KŒNIG, De Satira romana ejusque auctoribus præcipuis, in-8°, 1796, *Oldenburgi.*

KRAUSE, De Suetonii fontibus et auctoritate, in-8°, 1831, *Berolini.*

LABITTE, Etudes littéraires, 2 vol. in-8°, 1846, *Paris.*

LACOUR-GAYET, Antonin le Pieux et son temps, in-8°, 1888, *Paris.*

LALANNE, Curiosités bibliographiques [p. 348 sqq. : Histoire de la

liberté d'écrire], in-16, 1857, *Paris*.

LASSEL, Die Römische Satire und ihre Hauptvertreter, in-8°, 1865, *Kronstadt*.

LEGRIS, Rome, ses novateurs, ses conservateurs et la monarchie d'Octave Auguste, 2 vol. in-8°, 1846, *Paris*.

LESSING, Studien zu den Scriptores historiæ Augustæ, in-4°, 1890, *Berlin*.

LINDEMANN, Emendationes ad L. Annæi Senecæ ludum in mortem Claudii Cæsaris, in-4°, 1832, *Zittaviæ*.

LINDNER, De Cestio Pio, in-4°, 1858, *Züllichau*.

ID., De Gaio Albutio Silo, in-4°, 1861, *Vratislaviæ*.

ID., De Porcio Latrone, in-8°, 1855, *Vratislaviæ*.

MAGNIN, Les Origines du théâtre moderne, in-8°, 1838, *Paris*.

C. MARTHA, Les Moralistes sous l'empire romain, in-8°, 1864, *Paris*.

MARTINI, De L. Annæo Cornuto, in-8°, 1825, *Lugduni Batavorum*.

MASSON, Ovidii vita ordine chronologico delineata, in-8°, 1708, *Amstelodami*.

M. MEYER, Des Atellanes, in-8°, 1842, *Paris*.

DU MÉRIL, Poésies populaires latines antérieures au douzième siècle, in-8°, 1843, *Paris*.

MUNK, De fabulis atellanis, in-8°, 1848, *Lipsiæ*.

NAGEOTTE, Ovide, sa vie et ses œuvres, in-8°, 1872, *Paris*.

D. NISARD, Etudes de mœurs et de critique sur les poëtes latins de la décadence, 2 vol. in-8°, 1835, *Paris*.

PATIN, Etudes sur la poésie latine, 2 vol. in-12, 1869, *Paris*.

PAUCKER, Domitian und Cremutius Cordus, in-8°, 1861, *Mitau*.

PEIGNOT, Essai historique sur la liberté d'écrire chez les anciens et au moyen âge, in-8°, 1832, *Paris*.

PERNICE, Antistius Labeo, das römische Privatrecht im ersten Jahrhundert der Kaiserreit, in-8°, 1873, *Halle*.

PETER, De fontibus historiæ imperatorum Flaviorum, in-8°, 1866, *Halæ*.

PÉTREQUIN, Recherches historiques et critiques sur Pétrone, gr. in-8°, 1869, *Lyon*.

PLEITNER, Catulls Gedichte an und über Cæsar und Mammurra Kritisch behandeldt, in-4°, 1849, *Spire*.

PRUTZ, De fontibus quos in scribendis rebus inde a Tiberio usque ad mortem Neronis gestis auctores veteres secuti videantur, in-8°, 1838, *Halæ*.

RATHELF, De Cremutio Cordo, in-8°, 1861, *Dorpau*.

RÉBAUD DE LA CHAPELLE, Dissertation sur l'exil d'Ovide, in-8°, 1742, *Moulins*.

ROBERT, De Cassii Severi eloquentia, in-8°, 1890, *Paris*.

SCHILLER, Die stoische Opposition unter Nero, in-8°, 1867, *Wertheim*.

SCHMIDT, Geschichte der Denk-und Glaubensfreiheit im ersten Jahrhundert der Kaiserherrschaft, in-8°, 1847, *Berlin*.

SCHNITZLER, De Satiræ romanæ novæ natura et facie, in-8°, 1870, *Rostochii*.

SCHOBER, De Atellaniis exodiis, in-8°, 1830, *Vratislaviæ*.

ID., Ueber die Atellanischen Schauspiele der Römer, in-8°, 1825, *Leipzig*.

SCHRADER, De Scriptoribus rerum Augusti temporibus gestarum quæstiones selectæ, in-8°, 1877, *Monasterii*.

TALBOT, De ludicris apud veteres laudationibus, in-8°, 1850, *Paris*.

TEUFFEL, Studien und Charakteristiken, etc., in-8°, 1890, *Leipzig* (Ed. nova).

THAMM, De fontibus ad Tiberii historiam pertinentibus, in-8°, 1874, *Halis*.

TIVIER, De arte declamandi et de romanis declamatoribus qui priore post J.-C. sæculo floruerunt, in-8°, 1868, *Paris*.

UNGER, Quæstio de Ansere poeta, in-4°, 1858, *Novi Brandenburgi*.

WALHEN, In Ter. Varronis Saturarum

Menippearum reliquias conjectanea, 1858, *Lipsiæ*.

WALKENAER, Histoire de la vie et des poésies d'Horace, 2 vol. in-8°, 1840, *Paris*.

WEICHERT, De Licinio Calvo oratore et poeta, in-4°, 1825, *Grimæ*.

ID., De Horatii obtrectatoribus, in-4°, 1821, *Grimæ*.

ID., Poetarum latinorum Hostii, Lævii..... vitæ et carminum reliquiæ, in-8°, 1830, *Lipsiæ*.

WEYER, Ueber die Atellanen der Römer, in-8°, 1826, *Mannheim*.

WIDAL, Juvénal et ses satires, in-8°, 1869, *Paris*.

WIESE, De Vitarum scriptoribus romanis, in-4°, 1850, *Berolini*.

WILMANNS, De fontibus et auctoritate Dionis Cassii, in-8°, 1830, *Berolini*.

WIMMERER, Die politische Bedentung der Stoiker Roms im 1. Christl. Jahrdt, in-8°, 1864, *Hermannstadt*.

WOLFFGRAMM, Rubellius Plautus, u. seine Beurtheilung bei Tacitus u. Juvenal, in-8°, 1871, *Prenzlau*.

ZAPPATA, De V. Catulli vita et carminibus, in-8°, 1890, *Urbini*.

ZELLER, Religio und Philosophie bei den Römer, gr. in-8°, 1866, *Berlin*.

ZIEGLER, De Mimis Romanorum, in-4°, 1788, *Cottingæ*.

INDEX NOMINUM

NUMERI PAGINAS INDICANT. LOCI VERO PRÆCIPUI TYPIS CRASSIORIBUS DESIGNANTUR

TABULA RERUM

PARS PRIMA

DE SCRIPTORIBUS HOMINIBUSQUE LITTERATIS QUI MALE IN IMPERATORES ANIMATI FUERUNT

PARS SECUNDA

QUOMODO ROMANI IMPERATORES CUM MALEVOLIS SCRIPTORIBUS SE GESSERINT

VIDI AC PERLEGI

Aquis Sextiis, a. d. IV calendas apriles anni MDCCCXCI,

Facultatis litterarum in Academia Aquensi decanus,

G. GUIBAL.

TYPIS MANDETUR :

Academiæ Aquensis rector,

BELIN.

SANCTI-CLODOALDI. — EX TYPIS BELIN FRATRUM.

ERRATA

Pag. 32, not. 3, lege : *id* jocandi genus.
Pag. 36, l. 26, lege : *semisomnis.*
Pag. 40, l. 11, lege :
Sustulit hic *matrem*, sustulit ille *patrem.*
Pag. 51, l. 20, lege : præter *eos.*
Pag. 63, not. 1, lege :
Incutiat tibi *quid* sanctarum inscitia legum.
Pag. 83, l. 12, lege : quasi *sibi conviciari* liberet.
Pag. 85, l. 24, lege : partibus inter *se* divisis.
Pag. 87, l. 19, lege : *alliceret.*
Pag. 97, not. 1, lege : Suet., *Domit.*, 11.
Pag. 98, l. 7, lege : *Captum* est consilium.
Pag. 118, l. 25, lege : *Ferraz.*

DU MÊME AUTEUR

LES GENS DE LETTRES
ET LEURS PROTECTEURS A ROME

1 vol. in-8°, br. . . . . 7 fr.

HISTOIRE DE LA LITTÉRATURE LATINE

TROISIÈME ÉDITION

1 vol. in-12, br. . . . . 2 fr. 50 c.